CONGREGATIONES MARIANAE

PRIMAE PRIMARIAE COLLEGII ROMANI AGGREGATAE

ACTA CONFERENTIARUM

QUAE A MODERATORIBUS CONGREGATIONUM,
MENSE MAIO AN. 1922 - ROMAE HABITAE SUNT.

(*AD USUM NOSTRORUM TANTUM*).

ROMA
STABILIMENTO POLIGRAFICO PER L'AMMINISTRAZIONE DELLA GUERRA
—
1922

CONGREGATIONES MARIANAE

PRIMAE PRIMARIAE COLLEGII ROMANI AGGREGATAE

ACTA CONFERENTIARUM

QUAE A MODERATORIBUS CONGREGATIONUM,
MENSE MAIO AN. 1922 - ROMAE HABITAE SUNT.

(*AD USUM NOSTRORUM TANTUM*).

ROMA
STABILIMENTO POLIGRAFICO PER L'AMMINISTRAZIONE DELLA GUERRA
—
1922

INDEX RERUM

PRAEAMBULUM HISTORICUM.

Anno 1921, cum de generali omnium nationum Eucharistico conventu habendo jam ageretur, sodales Congregationis Marianae Virorum Hayentium ad A. R. P. Generalem litteras miserunt, quibus eum enixe rogabant ut, Congressus Eucharistici nactus occasionem, omnes etiam Marianas Sodalitates, ex variis mundi partibus, in Urbem convocaret.

Consilium illud A. R. P. Nostro placuit, non tamen ea ratione ut Congressus Marianus veri nominis una cum Congressu Eucharistico celebraretur, sed ita ut Moderatores et Sodales Mariani, qui Romam venturi essent, collatis sententiis consulerent tum de Congregationibus roborandis et augendis, tum de futuro Congressu Congregationum praeparando. Qui proinde die 24 septembris 1921, ad omnes Provinciarum Praepositos hanc misit epistolam:

Reverende in Xto. Pater:

P. X.

Cum Romae anno 1922 Congressus Eucharisticus totius orbis celebrandus sit, propositum mihi fuit ut occasione tot fidelium undique terrarum Romam confluentium, Marianarum Congregationum quoque conventus aliquis fieret.

Atqui Congressum quidem Marianum sollemniter celebrare eodem tempore ac Congressum Eucharisticum propter varias et graves rationes, vix opportunum visum est; ut vero Sodales B. V. M. qui in Urbe in honorem Sanctissimi Sacramenti aderunt aliquot simul conferentias ad promovendas Congregationes B. V. M. haberent, id minime declinandum censebamus.

Quod propositum SS. Pontifex de hac re a me interrogatus, continuo benigne accepit sibique valde gratum fore manifestavit, si huiusmodi conferentiae occasione Congressus Eucharistici Romae locum haberent.

Finis harum conferentiarum omnino practicus erit isque duplex. Primo, quis nunc sit in variis mundi partibus status Congregationum B. M. V. accuratius hac ratione cognoscere poterimus; secundo, indagare in quantum fieri poterit, oportebit quid sit faciendum ut Congregationes, quo magis scopum suum proprium attingant, aptius hodiernis necessitatibus respondeant.

Porro id quoque intendimus ut his quasi praeparatoriis conferentiis ad Congressum Marianum internationalem, postea convocandum, via diligenter sternatur. De qua re suo tempore plura communicabuntur.

Velit itaque praeprimis R. V. aliquem Patrem qui Congregationes magni faciat et praesentem earum in Provincia statum optime cognoscat designare ut Romam ad conferentias habendas veniat eiusque nomen mecum communicet. Hic cum Moderatoribus omnium Congregationum istius Provinciae, quae a Nostris diriguntur et cum Moderatoribus praecipuarum Congregationum quae ab externis reguntur, attamen nostrae Congregationi Primae primariae sunt aggregatae vel cum Directoribus dioecesanis seu regionalibus quaestionaria A et B huic epistolae adiuncta communicet eosque roget ut responsa ad ipsum mittant. Collectis omnibus responsis conficiatur, quantum fieri potest, brevis et clara relatio de Congregationibus in isto territorio existentibus quae ante finem mensis ianuarii Romam mittenda erit « Al Secretariato delle Congregazioni Mariane, Roma (5), Via del Quirinale n. 29 ». Interrogationes, dubia, animadversiones vel suggestiones ad eundem Secretariatum dirigantur et Patres huic operi applicati libenter pro viribus ad omnia respondebunt.

Praeterea rogo ut R. V. per Directores Congregationum vel alio modo qui ei aptior videbitur, eos Praesides et Sodales qui Congressui Eucharistico adfuturi sint rite edoceat de proposita serie conferentiarum, et ut ii sodales qui ad id maxime apti sunt bene instruantur ad referendum de praesenti statu Congregationum et ad consilia proficua suggerenda.

De numero et tempore quo conventus illi habebuntur, nondum certi quid statui potest. Probabiliter consessus Moderatorum fient ante Congressum Eucharisticum, Sodalium vero conventus cum subsequentur.

Quae omnia cum non solum totius nostrae Societatis, sed etiam Matris nostrae amantissimae et dilectissimae, Ecclesiae, honorem spectent, non dubito quin R. V. nihil non factura sit ut hae conferentiae praeliminares magnum successum habeant atque nostrae Congre-

gationes ubique terrarum magis floreant fructusque uberiores A. M. D. G. ferant. Imprimis autem commendare velim ut virorum maxime iuvenumque Congregationes quam optime repraesententur.

Commendo me ss. SS.

Tusculi, die festo B. M. V. de Mercede, 24 septembris 1921.

R.ae V.ae

Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

P. S. Cum ad omnia rite paranda pecunia quoque opus sit, R.a V.a videat possintne Congregationes Sodalesve ditiores prudenter invitari ad stipem aliquam in hunc finem conferendam.

QUAESTIONARIUM *A*.

1. De quibusnam rebus praeprimis in conferentiis Romae agendum est?

2. Quibusnam difficultatibus praecipue respondendum?

3. Suntne ex iis qui Romae venient nonnulli idonei ad loquendum de rebus ad Congregationes Marianas pertinentibus? Quae sunt materiae singulis magis notae? Qua lingua utuntur? De qua personarum classe peculiarem habent notitiam?

4. Quaenam alia videntur proponenda; animadversiones, suggestiones, quaestiones, etc.?

QUAESTIONARIUM *B*.

1. De praesenti statu Congregationum, numero Sodalium, spiritu et pietate.

2. De operibus piis, socialibus aliisque a Congregationibus susceptis vel suscipiendis; item de sectionibus earumque organizatione et fructu.

3. Quid animadvertendum sit de officio Directorum et de officiis Sodalium, praecipue officialium Congregationum.

4. De causis praecipuis boni vel mali successus et de variis difficultatibus vel quaestionibus solvendis.

5. De periodicis officialibus Congregationum, eorumque scopo et promotione necnon de aliis publicationibus Congregationum, libris, opusculis.

6. De Directore Dioecesano, Provinciali, Nationali, de foederationibus Congregationum, etc.

7. De relationibus Congregationum cum aliis societatibus, praecipue cum Iuventute Catholica, cum Conferentiis S. Vincentii a Paulo, cum Societate Sancti Nominis (in America Septentrionali), etc., cum Tertiis Ordinibus S. Francisci, S. Dominici, etc.

QUAESTIONARIUM *C.* (*Pro solis nostris Delegatis*).

1. Quot sunt in territorio Provinciae Congregationes directae a Nostris, quot ab externis, quot circiter Sodales, pro quibus hominum classibus ?

2. Quae sunt relationes Nostrorum ad Sodalitates tum nostras tum externas deque modis rationibusque promovendi Congregationes in illis regionibus secundum genuinum earum spiritum.

Atque hoc modo in singulis Provinciis aliquis Pater a suo Provinciali designandus erat, qui de Congregationibus in territorio Provinciae extantibus, iuxta proposita quaestionaria, inquireret, relationemque brevem et claram conficeret, quam tempore statuto Romam mitteret, ac denique, uti Provinciae suae delegatus, consultationibus Romae habendis interesset.

Interim ad hos conventus tempestive parandos A. R. P. Generalis duodecim Praepositis Provinciarum mandatum dedit, ut, unusquisque in sua Provincia, Patrem quam aptissimum seligeret ad lucubrationem conscribendam, circa unum ex argumentis ab ipso P. Nostro adsignatis.

Haec autem argumenta, quae totam veluti materiam de Marianis Congregationibus complectebantur, ad sex capita reducebantur, nempe :

1° De genuino fine Congregationum et de spiritu interno ;

2° De operibus zeli apostolici, per varias sectiones promovendis, et de recta harum sectionum instructione ;

3° De mutuis necessitatibus cum aliis Catholicis Sodalitatibus ;

4° De officio Directoris ;

5° De modo promovendi Congregationes et de praecipuis difficultatibus ;

6° De foederatione tum nationali tum internationali, id est de secretariatu et unione.

Lucubrationes autem duodecim faciendae erant : sex nempe, lingua latina exaratae, quae pro privatis conventibus inservirent ; sex vero pro publicis conventibus ; et hae lingua anglica, germanica, gallica, hispanica, italica vel latina, pro uniuscuiusque lubitu, exarandae, atque omnes sub finem mensis februarii Romam mittendae.

In hoc opere tanti momenti adlaborarunt, iuxta ordinem materiae nuper expositum, pro privatis conventibus : P. Josephus Conejos, Prov. Aragoniae; P. Franciscus Correa, Prov. Argent.-Chil.; P. Ioannes Bap. Drüding, Prov. Germaniae Infer.; P. Jacobus Bus, Prov. Hungariae; P. Caesar Goretti, Prov. Romanae. Pro publicis autem : P. Josephus Rutten, Prov. Belgicae ; P. Aloisius Ersin, Prov. Austriae ; P. Ioannes Foulkes, Prov. Neo-Aurelian.; P. Aloisius Rosette, Prov. Lugdunensis; P. Henricus Van Ruth, Prov. Neerlandicae ; P. Eduardus Garesché, Prov. Missourianae.

In relationibus vero conficiendis iidem adlaborarunt (uno vel altero excepto) qui postea Romam, uti Provinciarum delegati, venerunt.

Dum relationes et lucubrationes a PP. designatis parabantur, P. Delegatus Prov. Austriae hanc proposuit quaestionem : an non expediret occasione horum conventuum, ut omnes Provinciae Periodica Mariana et libros circa Congregationes impressos, Romam mitterent, ut omnes Patres delegati videre possent quidnam operis, etiam in hac parte, ab unaquaque Provincia perageretur. Consilium valde placuit, et P. Procurator Generalis, cui A. R. P. Noster curam Congregationum commiserat, die 22 decembris 1921, ad omnes Praepositos Provinciales, has litteras dedit :

REVERENDE IN XTO. PATER PROVINCIALIS,

P. X.

Uti R.ª V.ª, ex epistola A. R. P. Nostri die 24 septembris data, probe novit, occasione Eucharistici Congressus, qui proximo mense maio, Romae celebrabitur, Conferentiae aliquae habebuntur Marianarum Congregationum.

Quinam vero sit finis harum Conferentiarum in eadem epistola dilucide his verbis explicatur : « Finis... omnino practicus erit isque duplex. Primo, quis nunc sit in variis mundi partibus status Congregationum B. V. M. accuratius hac ratione cognoscere poterimus; secundo, indagare in quantum fieri poterit, oportebit, quid sit faciendum ut Congregationes, quo magis scopum suum proprium attingant, aptius hodiernis necessitatibus respondeant ».

Iamvero ad primum finem obtinendum certe multum iuvabit, si tempore istarum Conferentiarum in conspectu ponantur Praesidum Congregat. et ipsorum Sodalium, tum libelli periodici, tum libri et opuscula, qui in omnibus Societatis Provinciis a Marianis Congrega-

tionibus vel circa easdem Congregationes editi sunt. Haec enim omnia in conspectu posita non possunt non efficere ut in tam utili Congregationum Marianarum labore fervor augeatur et desiderium nascatur ulterius procedendi. Nam si verba movent, exempla trahunt. Et ita etiam ad secundum finem Conferentiarum obtinendum hoc medium adiuvabit.

Hisce positis ne gravetur R.ª V.ª, Patri suae Provinciae iam designato ut Romam veniat, mandatum dare ut fasciculos omnes, huius anni, Periodicorum Congregationum et unum exemplar librorum vel opusculorum, qui circa Congregationes in lucem prodierunt in sua Provincia, colligat et coniunctim quamprimum Romam mittat. Mitti autem possunt vel huic Generali Procurae vel ad Secretariatum Marianarum Congregationum. — Via del Quirinale, 29 - Roma (5).

Cum agatur de re, quae quam maxime ad laudem B. M. V. cedit, non dubito quin R.ª V.ª libenter operam suam praestitura sit ut collectio ista accurate atque sollicite peragatur.

Ineunte autem mense martio, A. R. P. Generalis ad congressum pressius praeparandum, commissionem, ut aiunt, Romae constituit. Membra huius commissionis fuerunt : P. Procurator Generalis, Praeses, P. Josephus Quirico, P. Alanus Becdelièvre, P. Eduardus Garesché et P. Georgius Harrasser, cui tamen, infirmitate impedito quominus Romam veniret, P. Petrus Mischler suffectus est. Haec autem commissio opus suum incepit die 9 martii.

Quomodo Patres isti circa materiam discussionum pro conventibus adlaboraverint, in relatione, quam P. Procurator Generalis, in initio primae sessionis, fecit, explicabitur. Fatendum tamen est Patres non sine magna difficultate in opere incepto perrexisse. Cum enim relationes atque lucubrationes, statuto tempore, Romam non pervenissent, P. Procurator Generalis, die 18 martii, ad nonnullas Provincias has litteras mittere coactus est :

« Secundum ea, quae ab A. R. P. Nostro, in suis litteris die 24 septembris 1921 datis, praescripta fuerunt, relationes de Marianis Congregationibus *ante finem mensis januarii mittenda erant.*

At proh dolor ! mensis martius iam in finem vergit et relatio istius Provinciae adhuc desideratur. Interea Patres ad has relationes colligendas, simulque ordinandas, destinati, in labore pergere non possunt, neque ea parare, quae imprimenda essent.

Enixe proinde R.ᵐ V.ᵐ rogo ut *sine mora* hanc optatam relationem Romam mittere velit.

Eadem, imo maiore celeritate lucubratio mittatur, quae per epistolam, sub finem mensis novembris transacti missam, huic Provinciae attributa est ».

At praeter illam generalem discussionum materiam, a Commissione alia etiam determinanda erant ; nempe tum tempus, tum numerus sessionum sive pro Nostris, sive pro Moderatoribus externis, sive pro omnibus Congregatis, tum denique rerum ordo pro unaquaque sessione. Sed in his omnibus determinandis non exigua aderat difficultas : si enim pro Nostris conventus certe futuri erant, incerti omnino haerebamus circa conventus pro Moderatoribus externis et pro Congregatis determinandos, cum ignoraremus quinam, quot et ex quibus regionibus Romam venturi essent. Praeterea quidquid Congressui Eucharistico vel minimam difficultatem creare videretur, sollicite vitare cogebamur, porro ordo ipsius Congressus, in aliquibus saltem, nondum determinatus erat.

Attamen post longam et seriam discussionem aliqua generalia statuere visum est, et haec statim Patribus Delegatis Provinciarum communicata sunt, cum ad ipsos, die 12 aprilis, *nonnullae animadversiones* de Marianarum Sodalitatum conventibus, missae fuerunt. Animadversiones autem his punctis continebantur :

1º Cum non debeamus vel minimo impedimento esse Eucharistico Congressui, Sessiones Marianae locum habebunt vel ante vel post ipsum Congressum. Sessionum vero triplex erit genus : Aliae enim pro Nostris tantum fient ; aliae pro Nostris et externis Moratoribus simul ; aliae demum pro omnibus Congregationum sodalibus, qui interesse cupiant.

2º Sessiones pro Nostris et Moderatoribus lingua latina explanabuntur in aula maxima Collegii Germanici. In sessionibus vero publicis, quae in variis aulis adhuc designandis pro numero confluentium habebuntur, unusquisque nativa lingua uti poterit. Tandem, si fieri possit, sessio pro omnibus habebitur, in qua sermone gallico, utpote magis noto, utendum erit.

3º Sessiones pro Nostris locum habebunt diebus 21, 22, 23 maii. Sessiones pro Nostris et simul pro externis Moderatoribus, die 24 mane et diebus 28 et 29 vespere, vel die 29 mane et vespere. Nondum enim pro his diebus ordo Congressus Eucharistici bene statutus est. Sessiones vero publicae diebus 30 et 31 maii.

4º Res in unaquaque sessione, praesertim a Nostris, discutiendae in apto programmate, typis excusso, cuius unum exemplar singulis

dabitur, proponentur. Omnibus proinde enixe commendatur ut illud attente perlegant, eaque adnotent, de quibus dicere volunt. Ita fiet ut breviter et dilucide simul mentem suam explicent, sine temporis iactura: statutum enim est ut unusquique delegatorum non nisi per quinque momenta loquatur.

5º Ut sessiones Moderatorum et generales melius ordinari possint *necesse omnino est:* Patres deputati, quam citissime poterunt, cum nobis communicent utrum ex sua Provincia aliqui ex Moderatoribus externis Romam venturi sint et quot. Idem dicendum de Sodalibus Marianis. Utile quoque erit scire utrum hi omnes possint duos vel tres dies, post Eucharisticum Congressum, in Urbe manere.

6º In memoriam revocatur Patribus deputatis ipsos nullo modo posse onus sibi sumere procurandi deversoria in Urbe sive sacerdotibus, sive saecularibus.

7º Demum pro hospitio Patrum deputatorum res ita ordinatae sunt: Patres qui ad Assistentiam Germaniae pertinent, hospitium habebunt in collegio Germanico. Ceteri vero, Italis exceptis, in collegio Pio Latino-Americano.

Licet tenuis arrideret spes, omnia posse eo modo evolvi quo optabamus, tamen, ne imparati inveniremur, rerum agendarum ordo parandus erat, pro his omnibus sessionibus, quae in animadversionibus enumerantur. Quamobrem a Patribus Commissionis ordo hoc modo dispositus est:

PRO CONVENTIBUS NOSTRORUM:

1º De genuino fine et spiritu interno Congregationum. (*Conf. Brev. Consp., pag.* 3). Relator: P. Garesché.

2º De Directore eiusque officio (*Brev. Consp., pag.* 13). Relator: P. Becdelièvre.

3º De operibus zeli apostolici (*Brev. Consp., pag.* 6): *a*) Quodnam sit munus sectionum. Relator: P. Mischler; *b*) Quaenam opera et quomodo promovenda. Relator: P. Quirico.

4º De modo promovendi Congregationes (*Brev. Consp., pag.* 17). Relator: P. Quirico.

5º De necessitudine Congregationum cum aliis Societatibus (*Brev. Consp., pag.* 9). Relator: P. Mischler.

6º De Foederatione et Secretariatu, praesertim de recta instructione Secretariatus, et de periodicis recte edendis (*Brev. Consp., pag.* 22). Relator: P. Garesché.

7º De futuro Congressu (*Brev. Consp., pag.* 25). Relator: P. Becdelièvre.

PRO CONVENTIBUS MODERATORUM EXTERNORUM:

Praenotandum. — Conventus isti hunc duplicem finem habebant:

1º Moderatoribus externis ostendere quodnam sit perfectum exemplar Marianae Congregationis.

2º Ab ipsis Moderatoribus audire quomodo Congregationes, quas dirigunt, in melius provehi possint, quibus mediis practicis utantur ad difficultates superandas, quae huic rei obstant; et ab ipsis etiam scire quid a Nostrorum collaboratione expectent ut facilius et aptius suas Congregationes dirigere possint.

His positis ordo tractationum hoc modo propositus est:

1º Bene percepto officio Directoris, atque genuino fine et spiritu Congregationis, quid practice agere debeant Moderatores ut Congregationes plene suo fini respondeant, sive pro uniuscuiusque propria sanctificatione, sive pro operibus zeli apostolici, per rectam sectionum institutionem. Relator: P. Garagnani.

2º Quaenam media magis apta extent: *a*) ad practicam Directorum efformationem; *b*) ad Congregationes propagandas; *c*) Quaenam praecipuae difficultates opponantur et quomodo solvantur. Relator: P. Monaco.

3º Quaenam necessitudines intercedere debeant inter Congregationes et alias Sodalitates, ut sese mutuo adiuvent et nullo modo inter se opponantur. Relator: P. Drüding.

4º Quid sentiendum de foederatione tum nationali tum internationali; quid de secretariatu et de periodicis. Relator: P. van Ruth.

5º Quaenam mutua collaboratio desideretur inter directores et Patres S. J. Relator: P. van Ruth.

6º Quid suggerendum ad parandum futurum congressum Congregationum. Relator: P. Correa.

Demum PRO CONVENTIBUS SODALIUM (si quidem fieri possent) haec statuta erant:

1º Posito genuino fine et spiritu interno Congregationis, quinam sit praesens Congregationum status comparate: *a*) ad sanctificationem propriam; *b*) ad munera zeli apostolici; *c*) ad opera pro defensione fidei.

2º Quaenam difficultates obstent ex parte Sodalium ad finem genuinum Congregationum assequendum, et quomodo vincantur.

3º Quid dicendum circa necessitudines Congregationum cum aliis Sodalitatibus et quid in hac re facere debeant Congregati.

4º Quaenam media magis apta ex parte Congregatorum ad Congregationes promovendas. Praesertim : quid dicendum de secretariatu tum nationali tum internationali ; quid de unione nationali vel internationali Congregationum.

5º Quid de futuro Congressu Congregationum.

Demum in *sessione plenaria* omnium Directorum et Congregatorum *conclusiones* conventuum exponendae et explicandae erant.

Licet, ut diximus, parva esset spes omnia in praxi deducendi, tamen omnia praesto erant ne imparati inveniremur. Eventus postea comprobavit sessiones Moderatorum externorum et Sodalium modo convenienti disponi omnino non posse. Plerique enim sero in Urbem venerunt et in ea non permanserunt nisi illis diebus, quibus Eucharisticus Congressus evolvebatur : jam non solum non decebat sed ne fieri quidem poterat ut illis diebus sessiones ullas disponeremus. Statutum proinde est, ante ipsum Congressum, sessiones sex habendas esse pro Nostris et unam solummodo pro Moderatoribus externis. Pro sodalibus vero quidquam omnino determinari non potuit, si privata sessio excipiatur ab Hispano-Americanis, post Eucharisticum Congressum, habita.

Acta proinde respiciunt praesertim sessiones Nostrorum. Hae autem sessiones in Aula Maxima collegii Germanici, in qua Congregationes nostrae Generales locum habent, perbelle exornata, et cui praeerat in suo solio B. Virgo Immaculata, habitae sunt.

Adfuerunt autem his sessionibus, uti membra activa, A. R. P. Generalis, qui praesidere noluit, ut Patres Deputati omnimodam loquendi libertatem haberent, qui tamen in loco distincto cum RR. PP. Assistentibus assidebat, deinde Patres a Provinciis Deputati, unusquisque in loco sibi adsignato : demum P. Procurator Generalis, P. Augustinus Garagnani, Praeses Congregationis Primae Primariae ; P. Nicolaus Monaco, Praeses Congregationis vulgo dictae della Scaletta, et P. Petrus Mischler, utpote ad commissionem romanam pertinens.

Nomina autem Patrum Deputatorum, iuxta ordinem Provinciarum, prout in catalogis nostris invenitur, haec sunt :

E provincia	Romana	P. Josephus Quirico.
Id.	Neapolitana	P. Japhet S. Jollain.
Id.	Sicula	P. Dominicus Prestifilippo.
E Provincia	Taurinensi	P. Aloisius Revello.
Id.	Veneta	P. Ambrosius Fiocchi.
Id.	Belgica	P. Josephus Rutten.
Id.	Austriae	P. Aloisius Ersin.
Id.	Belgica	P. Josephus Rutten.
Id.	Ceco-Slovaca	P. Rudolphus Stejskal.
Id.	Germaniae Infer.	P. Joannes Bapt. Drüding.
Id.	Id. Super.	P. Henricus Sierp.
Id.	Hungariae	P. Iacobus Bús.
Id.	Jugoslaviae	P. Bruno Foretić.
Id.	Neerlandicae	P. Iacobus Mulders.
Id.	Id.	P. Henricus van Ruth.
Id.	Poloniae	P. Ioannes Rostworowski.
Id.	Campaniae	P. Aemilius Villaret.
Id.	Franciae	P. Alanus Becdelièvre.
Id.	Lugdunensi	P. Iosephus Goudard.
Id.	Tolosana	P. Iosephus de Guibert.
Id.	Aragoniae	P. Iosephus Conejos.
Id.	Argent.-Chilena	P. Franciscus Correa.
Id.	Castellana	P. Celsus Nagore.
Id.	Legionensi	P. Gulielmus Santa Romana.
Id.	Lusitana	P. Aloisius G. da Fonseca.
Id.	Mexicana	P. Iacobus Ramirez.
Id.	Toletana	P. Petrus Ayala.
Id.	Angliae	P. David Thompson.
Id.	Canadensi	P. Iosephus Archambault.
Id.	Id.	P. Eduardus Devine.
Id.	Hiberniae	P. Michael Browne.
Id.	Californiae	P. Gulielmus Boland.
Id.	Marylandiae	P. Ricardus Tierney.
Id.	Missourianae	P. Eduardus Gareschè.
Id.	Neo-Aurelian	P. Ioannes Foulkes.

Neque omittendi sunt Patres tres, nempe P. Ioannes B. Rabeneck, P. Emmericus Raitz de Frentz et P. Otto Werner, qui munus sibi susceperunt breviter scribendi, quae a Patribus dicebantur et oratoribus ostendendi quae scripta erant, ut si vellent, notata corrigere possent, quibus maximam partem debetur si haec Acta imprimi possunt.

Demum uti auditores adfuerunt fere in omnibus sessionibus :

R. P. Provincialis Prov. Romanae, Patres non pauci tum Curiae, tum Collegii Germanici, Biennistae praesertim, tum aliarum Urbis domorum, nec non aliqui Patres, ex aliis regionibus, qui Romam advenerant, Congressus Eucharistici celebrandi causa.

Ad *Acta* ipsa quod attinet, utile existimavimus imprimis ponere « *Brevem conspectum*, etc. », in quo materia continetur eorum, quae in sessionibus discussa sunt, et qui prae oculis habendus est ad discussiones melius intelligendas. Veniunt secundo loco Acta singularum sessionum, eo ordine, quo evoluta sunt. Denum nonnulla adduntur scitu utilia.

Hoc unum dicendum vel potius rogandum manet: Ne sinant Superiores et Congregationum Directores Acta ista in oblivionem ire vel in bibliotheca tranquille quiescere! Sed, uti decet Societatis Filios, quibus cordi sit Marianarum Congregationum bonum, Acta ista attente perlegant et in rebus dubiis saepe consulant. Licet enim opus valde imperfectum sit, plura tamen continent, quae non modo scitu utilia sed necessaria omnino sunt ad Marianas Congregationes, secundum genuinum spiritum, dirigendas atque promovendas. Meminerint omnes ignorantiam rerum nostrarum saepe in causa esse cur opera nostra apostolica non bene procedant. Nullus proinde patiatur se ignorantiae culpabilis reum esse in re tanti momenti, qualis est recta directio Congregationum Marianarum. In ipsis enim efformatur, ex ipsis originem ducit bene ordinata acies illa Christianorum, quae semper parata invenitur ad proelianda proelia Domini!

BREVIS CONSPECTUS EORUM, QUAE AD CONGREGATIONES MARIANAS PROMOVENDAS ET DIRIGENDAS MAXIME INSEVIRE POSSUNT, QUAEQUE PATRIBUS DELEGATIS PROPOSITA SUNT

I. – De genuino fine et spiritu interno congregationis.

1. *Praenotanda* :

I. Congregationes quae in Ecclesia Dei iam a pluribus saeculis florent, sunt considerandae tanquam pretiosum donum a Deo societati et fidelibus concessum, nostris temporibus maxime aptum: vix aliud simile opus in Ecclesia Dei tam universale tamque organicum esse videtur. Non enim congregatio est confraternitas pietatis nec opus mere sociale, sed sodalitium religiosum quod tamen efficaciam singularem habet ad homines selectos pro vita sociali efformandos, aptos ad quodlibet opus, etiam sociale, promovendum et dirigendum, quibus praesenti tempore maxime indigemus. Habet etiam congregatio vim specialem coniungendi homines secundum classes sociales qua unusquisque in sua sphaera sociali adlaborat, sed omnes sunt uniti eodem fine, principiis, mediis.

II. Hoc primum punctum maximi est momenti. Nam, licet theoretice de eo nulla sit controversia, practice tamen nonnulli etiam e Nostris videntur aut diverse sentire aut negligere aut ignorare rem tanti momenti.

2. *De modo discernendi genuinum finem et spiritum internum.* — Non sunt discernendi pro cuiuscumque lubitu, sed ex documentis authenticis, traditionibusque approbatis. Documenta sunt: 1. Documenta pontificia, v. g. bulla aurea *Gloriosae Dominae,* anni 1748 qua resumuntur et confirmantur a Benedicto XIV documenta antecedentium Pontificum. 2. Acta Patrum Generalium Societatis, praesertim regulae quas condiderunt, approbarunt et promulgarunt, v. g. Pater Acquaviva 1587, Pater Backx 1855, et Pater Wernz 1910. 3. Ratio Studiorum quae tantae auctoritatis est in Societate. 4. Hi-

storia et traditiones optimarum congregationum, tum antiquarum tum recentium; scripta et exempla peritorum directorum, nec non et sanctorum et insigniorum sodalium. Ex his documentis luce clarius ostenditur quis nam sit finis et genuinus spiritus congregationis. Ostenditur enim devotionem filialem erga B. M. V. esse medium principale et characteristicum congregationis ad fovendum zelum propriae perfectionis et spiritum internum tam ferventem ut redundet ad extra in opera varia zeli apostolici, quibus sodales in honorem tantae Matris secundum statum et opportunitatem adlaborant tum ad salutem et perfectionem proximorum tum ad fidem defendendam atque propagandam. Sit exempli causa prima inter regulas a P. Wernz approbatas.

3. *Solutiones practicae.* — Ex diligenti studio horum omnium documentorum plurima dubia solvuntur quae interdum etiam a Nostris moventur, v. g. 1. Ostenditur scopum sodalitatis non restringi ad pietatem personalem fovendam, sed extendi etiam ad opera zeli apostolici et fidei propagandae ac defendendae. 2. Non omnes esse admittendos indiscriminatim in sodalitatem sed eos tantum qui fundatam spem praeseferunt vitae ferventioris in honorem B. M. V. degendae 3. Modum characteristicum organizandae sodalitatis esse institutionem sectionum. 4. Errorem practicum esse quaerere potius numerum sodalium quam fervorem vitae catholicae. 5. Congregationem primario esse pro viris, secundario etiam pro foeminis; quare magno conatu congregationes virorum esse propagandas. 5. In genere congregationem bene conditam atque directam non solum nihil amisisse de sua primaeva efficacia, verum etiam hodiernis temporibus maiora agere posse ad spiritualem vitam et ad opera zeli apostolici exercenda.

4. *Media ad finem attingendum et spiritum fovendum.* — Praecipua sunt: 1. Devotio filialis erga B. M. V. maxime fovenda, quae devotio importat scientiam, amorem, confidentiam, imitationem virtutum, opera zeli in eius honorem; 2. Exercitia pia, congregationi propria, ordinate et constanter habenda; 3. Usus frequens sacramentorum, confessionis, et communionis; 4. Adoratio eucharistica; 5. Lectio librorum piorum; 6. Instructiones aptae a Directore confectae; 7. Recollectio menstrua; 8. Exercitia spiritualia semel in anno; 9. Sectiones aptae, praesertim eucharistica; academiae seu sectiones culturae; sectiones pro operibus charitatis et socialibus,

quibus participent sodales omnes; 10. Selectio et formatio candidatorum et officialium; 11. Directio apta, sive collectiva sive personalis; 12. Mutua charitatis fovenda; 13. Maxime vero conducit ad spiritum congregationis fovendum exacta scientia et perfecta regularum observatio.
Directio apta, sive collectiva sive personalis; 12. Mutua charitas fovenda; 13. Maxime vero conducit ad spiritum congregationis fovendum exacta scientia et perfecta regularum observatio.

5. *Puncta aliqua discussionis*:

1. De praxi devotionis erga B. V. M. 2. De controversia practica circa admissionem membrorum, nempe de selectione meliorum facienda. 3. De regulis.

II. - De operibus zeli apostolici.

1. *De necessitate horum operum.* — Oritur ex natura et fine congregationis. Congregatio enim non est mera confraternitas pietatis, sed, uti apparet ex documentis pontificiis et ex regulis, est societas ad perficiendam totam vitam christianam, ad verum fervorem excitandum, qui in operibus exterioribus se manifestet. Etenim opera zeli apostolici et necessaria sunt ad vitam perfectam christianam, et media optima ad fervorem excitandum devotionemque demonstrandam (cf. regulas 1, et 12). Ex his regulis constat congregationem amplecti debere opera zeli apostolici; dicitur enim, tum in veteribus editionibus regularum tum praecipue in laudata versione a P. Wernz edita, sodales debere non tantum ad perfectionem personalem tendere, sed etiam ad salutem et perfectionem proximorum et ad defensionem fidei. Praeter regulas 1, 12 et 13 Patris Wernz, conferantur regulae Patris Acquavivae articulo 8 circa finem, et Patris Beckx regula 14. Idem patet ex historia ipsa et ex modo agendi meliorum congregationum: cfr. Delplace, *Histoire de la Congrégation de la Sainte Vierge*, etc. Quo ferventior est congregatio in vita sua interiori, eo magis actuosa in operibus zeli apostolici. E contra constat ex experientia fere universali ea opera externa maxime iuvare ad vitam internam fovendam. Quod spectat ad formationem characteris sodalium, evidens est in exercitiis zeli aptissimum inveniri medium ad animam plane efformandam solidamque virtutem colendam. Tum societatem civilem tum ipsam Ecclesiam summopere egere operibus zeli apostolici nemo est qui non videat; ex experientia autem constat sodalitatem quam plurimum conferre posse ad bonam organizationem catholicam.

2. *Opera pietatem directe respicientia.* — In primis complectuntur catechesim impertiendam, quod commendatur iam regulis Patris

Claudii 1587. Considerandum est qualisnam ratio instructionis catechisticae efficacior sit. Foveri debent etiam opera eucharistica, quotidiana communio, visitatio SS. SS., spiritus liturgicus, praeparatio puerorum ad primam communionem; item exercitia spiritualia promovenda tum pro sodalibus tum pro non-sodalibus, pro diversis classibus personarum, ut industrialibus, operariis, medicis, infirmariis, legisperitis, etc.; opera ad conversionem peccatorum obtinendam, ad vitandas discordias et stabiliendam unionem in familiis, ad scandala removenda, etc. quae veluti silentio peraguntur et maximum fructum afferunt. Opera pro missionibus, tum domesticis tum longinquis. Propagatio librorum, foliorum, ephemeridum, etc. catholicorum; caerimoniae piae, tum parochiales tum interparochiales, aliaeque publicae manifestationes praecipue in honorem B. M. V. Propagatió apostolatus orationis, et devotionis SS. Cordis, praesertim per consecrationem familiarum.

3. *Opera charitativa, etiam praeventiva et reconstitutiva.* — 1. Ea quae subveniunt egestati aut aerumnis praesentibus: pauperes invisere, atque eleemosynas dare, visitare carcere detentos et aegrotantes praesertim in nosocomiis. 2. Alia opera etiam maximi momenti sunt quae praeveniunt vel etiam auferunt miseriam, ignorantiam et aegritudines hominum. Eiusmodi sunt cura puerorum atque puellarum neglectarum, orphanotrophia, patronatus, conservatoria, sanatoria, provisio debitae recreationis, domus recreationis et rusticationis, scholae professionales artium, scholae vespertinae et vacationum tempore, etc. Spiritus charitatis si floreat in sodalitate, sponte apparebit in mutuo auxilio, etiam materiali, sodalium inter sese, et congregationis ipsius erga sodales.

4. *Opera culturae.* — Circuli studiorum socialium, academiae, conferentiarum cursus, etiam a sodalibus exaratarum; distributio librorum et opusculorum de re sociali, instructio operariorum et industrialium de principiis catholicis et socialibus. Opera culturae, scilicet academiae ad culturam vere catholicam promovendam, v. g. de arte, de literatura, de historia, de philosophia, de re apologetica.

5. *Opera syndicalia, oeconomica et politica.* — Haec opera a congregationibus directe non sunt amplectenda; possunt tamen, immo debent membra congregationum ea condere, promovere, animare. Propria opera congregationum sunt opera pietatis, zeli apostolici et charitatis.

6. *Principia practica.* — 1. Hoc criterium est adhibendum pro operum selectione: iuxta diversas congregationum species, diversa opera sunt seligenda. Alia enim magis propria sunt congregationibus virorum, alia adolescentium, sacerdotum, seminaristarum, virginum, ancillarum, puerorum, etc. Item diversa sunt seligenda pro congregationibus in magnis civitatibus atque in oppidis, diversa in paroeciis pauperioribus et divitibus, in scholis, in nosocomiis, etc. 2. Necesse est ita caute eligere inter opera possibilia ut non nimia sint tentanda sed potius quae tentatur bene fiant. Ab iis potius incipiatur quae vel magis sunt necessaria vel sodalibus magis arrident. 3. Debent sodales ipsi opera facere, necnon quoad fieri potest dirigere; immo quo magis opus relinquitur sodalium initiativae eo magis fervor eorum fovebitur. 4. Ubi aliae societates similia faciunt, prudens director evitet nocivas competitiones, tamen servet characterem et activitatem congregationis. Voluntatem cooperandi semper praeseferant tum sodales tum director ipse. 5. Opera maximi momenti sunt: pro catechesi, pro missionibus, pro literatura catholica, pro operariis, pro cura iuventutis, pro cultu speciali Sanctissimi Sacramenti.

7. *Praecipua puncta discussionis haec fere erunt*: — 1. De modo practico instruendi eos qui nesciunt opera zeli apostolici pertinere ad essentialia congregationis. 2. Quid sentiendum sit de sectionibus sportivis, de saltationibus, de theatris, de cinematographis, etc. 3. De moderna exaggerata inclinatione ad commoda et voluptates; quomodo cohibenda est tum inter sodales tum opere sodalium in ipsa societate. 4. De mediis practicis arcendi sodales a matrimoniis mixtis et matrimonia inter catholicos promovendi. 5. De modo quo sodalitates practice et caute necessitatibus sodalium subvenire possint, et eos adiuvare ut convenientem statum vitae in societate obtineant.

III. - De relationibus congregationis ad alias societates.

1. *Principia generalia*: 1. Opera externa zeli apostolici singulis congregationibus necessaria sunt, ut suam internam vitam exprimant et eam complete perfecteque extendant. Quare quaelibet congregatio opera varia zeli apostolici et quoad fieri potest in suo proprio coetu, ope sectionum sedulo instructarum, promovere debet. 2. Difficultas, ut iam animadvertimus, in eo est quod nunc in omnibus fere regionibus multae aliae societates constitutae sunt, quae locum possident et independenter a sodalitate ea opera promovent quae olim congregationi marianae propriae erant. Hinc congregationes, opera sua promovendo et extendendo, inani conatu saepius agunt, immo et cum iis societatibus concurrere videntur aut eas impedire. 3. Ea difficultas, quae seria est, potest tamen aliquo modo componi aut saltem minui: eligendo aliqua opera quae in iis locis nondum aliae societates amplexae sunt et formando sectiones proprias ad promotionem eorum operum; collaborando cum iis societatibus v. g. organizando sectiones aliquas in sinu congregationis, quod facile fieri potest in urbibus satis amplis, v. g. relate ad conferentias S. V. a Paulo et apostolatum orationis, etc.; formando sodales ferventes et magna activitate praeditos, qui iis societatibus dent nomina et earum operibus ut membra selecta, immo et aliquando ut officiales collaborent. 4. Duo tamen sunt attendenda: Prius quotiescumque fieri potest, congregationes habeant proprias sectiones aut saltem opera in quibus exerceant suum zelum apostolicum: hae autem sodalitates quae tantum sodales suos ut collaboratores in alias societates mittunt, certe vita propria perfecta non gaudent. Ergo tantum hoc ultimo modo utantur quum aliter fieri non poterit. Posterius, optimum est collaborare cum aliis societatibus, nunquam autem cum iis concurrere et competitionem habere.

2. *Specialia et practica.* — *a)* Cum tertiis ordinibus: 1. Fatendum est congregationem non esse tertium ordinem quo sodales aggregentur Societati Iesu. Sodalis non est Iesuita in veste laicali; 2. Quamvis sub eo respectu sodalitas inferior sit tertiis ordinibus, praebet tamen christiano qui ad perfectionem tendere cupit in suo statu media multa, fortia et efficacia. 3. Theoretice nulla ratio solida adduci potest ut ostendatur tertianum non debere admitti in sodalitatem nec vice versa. Si aliquibus in locis res prohibetur practice, usus est localis nec habet ullam connectionem cum principiis generalibus et regulis congregationis. Propterea maxima est varietas in modo agendi ut patet ex relationibus Romam missis. 4. Aliquando tertii ordines opera exteriora active promovent quae similitudinem praebent cum operibus sodalitatum. Occasio est applicandi principium generale iam indicatum: collaboratio cum charitate mutua, nulla competitio.

b) Cum Conferentiis S. Vinc. a Paulo: 1. Natura congregationum, immo ipsa historia utriusque associationis commendantur optimae relationes collaborationis et charitatis inter sodalitates et conferentias. Etenim conferentiae a sodalibus organizatae sunt, et charitatem in proximos exercent eodem spiritu ac congregationes. 2: Igitur promovendae sunt et laudandae conferentiae a sodalibus, multiplicentur in sodalitatibus sectiones conferentiarum, aut, si iam existunt conferentiae in urbe aut paroecia, his saltem active collaboretur.

c) Cum coetibus Iuventutis Catholicae et Unionibus Studiosorum: 1. Licet in pluribus sodalitates similitudinem praebeant cum iis coetibus, aliqua sunt discrimina, nam: hi coetus admittunt nae. Omnes non admittit, sed magis idoneos eligit. Hi coetus pari studio tendunt ad fines quos suo programmate exprimunt, nempe pietatem, laborem, activitatem; sodalitas, e contra, inter eos distinguit, et multo maius momentum in pietate ponit. In illis coetibus socii ipsi exercent auctoritatem; suos praesides et officiales eligunt, seipsos regunt: sacerdos autem est merus capellanus, vulgo assistens ecclesiasticus. In sodalitate sacerdos est moderator cui competit magna potestas tam in materialibus quam in spiritualibus, licet in praxi tali auctoritate rarius utatur. Hi coetus praebent utique maiorem externam activitatem praesertim in rebus socialibus, quae activitas aliquando fere nimia videtur, et quasi febrilis. Id nascitur ex ipso programmate quod activitatem externam pro fine habet; e contra quum congregatio pro fine directo vitam internam habeat, pacem

quamdam, tranquillitatem, recollectionem, tamquam proprios characteres praesefert; ex hac quiete tamen oriri debet intensa, constans, et ordinata activitas, non quidem uti finis, sed ut medium adhibenda. 2. Cum iis coetibus varii agendi modi adhiberi possunt: aliquando hi coetus constituuntur sub forma congregationis et ea quae sunt congregationis admittunt. In hoc casu tamen aliquae sunt difficultates practicae propter discrimina supradicta: v. g. coetus curat praesertim de labore et activitate, congregatio de pietate; director congregationis est assistens ecclesiasticus circuli, congregatio proprie dicta fit solummodo centrum pietatis exercens activitatem mediante circulo. Aliquando intra hos coetus organizari potest pro electis sociis congregatio proprie dicta. Aliquando congregatio proprie dicta dat nomen suum unioni huius generis ita ut fiat membrum unionis. Ad hoc autem requiritur ut sit perfecte constituta, et habeat sectiones studiorum et operum quae exiguntur pro admissione in hanc unionem. Aliquando foederatio ipsa congregationum se coniungit cum unione inventutis regionali vel nationali cum sua propria forma et statutis quae a directione unionis approbantur. Variis his modis, aut aliis, si qui sint, congregationes se coniungere possunt cum coetibus aliis organizatis adolescentium: iis afferunt augmentum pietatis et ardoris ad perfectionem christianam obtinendam et ab iis accipiunt generatim augmentum activitatis.

d) Cum Societate Sancti Nominis quae exsistit in America septentrionali: Illa societas eo differt a congregatione quod primo pro viris solis et secundo pro omnibus catholicis etiam minus ferventibus instituta est. Adde quod, licet a multis usurpetur uti medium promovendi activitates varias, videtur instituta esse praecipue ad hoc ut nomen sanctissimum honoretur et ut blasphemia ceteraque peccata linguae arceantur. Ex his apparet nullam esse veram contradictionem inter Societatem Sancti Nominis et congregationes sed eo congregationes damnum accepisse ex hac societate quod genuinus finis congregationis male intelligitur. Ad praxim quod spectat debent in Societatem Sancti Nominis omnes homines et iuvenes cooptari, et deinde magis ferventes etiam in congregatione numerari. Hoc modo se mutuo adiuvabunt, dummodo spiritus et finis utriusque cognoscatur recte et caute conservetur. Relate ad ceteras societates, si quae sunt, eodem fere modo congregationes se habere possunt.

3. *Praecipua puncta discussionis erunt*: — 1. De modo practico promovendi sodalitates et opera earum inter tot et tot societates

fere ubique existentes et locum occupantes. 2. De modo agendi relate ad tertios ordines ut habeatur aliqua uniformitas. Aliqui putant eumdem christianum non posse utiliter inscribi simul in tertio ordine et in sodalitate, quum uterque coetus, licet diversimode, imponat directionem toti vitae eamque complete vertat ad perfectionem obtinendam. 3. De relatione et coniunctione practica inter sodalitates et uniones adolescentium vel Iuventutem Catholicam aut Societatem Sancti Nominis.

IV. – De directore eiusque officiis.

1. *De dotibus directoris.* — Director, si velimus exemplar quasi perfectum effingere, natura esse debet vir prudens, magnanimus, perseverans, ingeniosus et industriosus, aptus et aequalis in modo agendi cum omnibus, praeditus facultate publice loquendi. Praeter has naturae dotes necesse est ut in directore appareat studium speciale vitae interioris, devotio singularis erga B. V. M., zelus, scientia regularum et traditionum, existimatio et amor sodalitatis. Hae dotes magis minusve exiguntur iuxta diversa congregationum genera, et, si agitur de sodalitatibus mulierum, requiritur specialis gravitas. Quodsi director eligendus omnibus his dotibus praeditus non inveniatur, essentiales saltem habeat, nempe ut intime cognoscat atque magnifaciat naturam et finem congregationis, et donum habeat dirigendi animas ad hunc finem obtinendum.

2. *De munere directoris.* — Munus directoris est maximi momenti, quum ex bona directione magna ex parte pendeat ipsa vita congregationis. Directoris est dirigere, non ipsius omnia facere. Regere debet congregationem non secundum proprium sensum sed secundum statuta et legitimas traditiones. Item fovere debet vitam internam ut non solum in propriam sanctificationem sodalium redundet, sed etiam in opera exteriora zeli apostolici et defensionis Ecclesiae. De hoc multiplici fine congregationis et praesertim de devotione erga B. V. M. saepius ipse publice et privatim sodales instruat et hortetur. Statuta et ephemerides explicet sodalibus. Curet ut per media propria congregationis ita efformentur congregati ut evadant viri integrae fidei, morum egregiorum, addicti maxime Ecclesiae, maxima activitate praediti, pro bono societatis et pro defensione fidei. Quare prudenter et caute novos sodales recipiat, invigilet circa eorum rectam formationem, indignos tempestive et debita

prudentia eliminet; per ephemeridem vel privatas litteras cum absentibus communicet, foveat vincula inter antiquos et praesentes sodales.

Sciat magni esse momenti actionem officialium; nam, quamvis directoris sit canonice summa auctoritas, tamen practice director per officiales dirigere debet.

Quare optimi eligantur ad magistratum congregationis, qui vere ament congregationem, sint conventibus assidui, zelum inter socios exerceant, sedulo promoveant opera congregationis, magna existimatione afficiantur, sint in agendo constantes et prudentes. Licet director habeat absolutam potestatem eligendi officiales, in praxi tamen, nisi necessitas aliud suggerat, relinquat ipsis congregatis electionem liberam, curando perspicaci et paterna diligentia ut meliores eligantur. Ad omnia externa recte et efficaciter peragenda debitas sectiones promoveat omnibus modis, ore, scripto et ephemeride. Magno cum studio administrationem temporalem curet, sed, quoad fieri potest, per ipsos officiales. Denique ita omnia disponere studeat ut congregatio etiam eo recedente bene procedat saltem per longum tempus, donec alius vere aptus inveniatur.

3. *De defectibus directoris.* — Praecipui defectus directoris hi esse possunt: Omnia facere per seipsum, sensui proprio nimis esse addictum, alienis ministeriis libentius et saepius distrahi, despotismus in iubendo et tractando, inconstantia, ignorantia finis et spiritus congregationis, eiusque statutorum, minor congregationis existimatio et fiducia, discors agendi modus a precedenti directore sine ratione sufficienti, negligentia tum in parandis exhortationibus tum in propriis exercitiis congregationis fovendis, nimia facilitas in sodalium receptione, sollicitudo potius de numero quam de qualitate sodalium, minor attentio circa eorum praesentiam, timiditas et respectus humanus circa indignorum eiectionem, nimia et fera severitas in tractando et dimittendo, partialitas, loquacitas, et nimia familiaritas, maior tendentia ad foeminarum opera quam virorum, reluctantia circa opera externa, defectus initiativae, rigiditas, carentia spiritus cooperationis.

4. *De formatione directorum nostrorum.* — Quum opus congregationum sit proprium Societatis, et maxime ducat ad animarum salutem, et fere totum pendeat ex dotibus et modo agendi directoris, superiorum est curare ut directores quam maxime apti eligantur et

formentur. Ad hoc iuvabit ut novitii bene circa congregationes ut fas est doceantur, ut scholastici tempore iunioratus, studiorum et magisterii, crebris instructionibus et academiis et praxi, si fas est, habitas cognitiones augeant.

Tertio probationis anno practice et theoretice ample tractentur quae congregationes respiciunt, advocando etiam patres specialiter peritos. Qui a superioribus ad congregationes dirigendas destinandus est, per aliquod tempus sit adiutor expertissimi directoris, antequam munus ineat. Adiuventur directores mediis sive materialibus sive moralibus, monitionibus et commendationibus; ne in alias occupationes distrahantur. Ex modo agendi superiorum appareat quanti ipsi faciant munus directoris congregationis, et quam grati sint sedulis directoribus. Mutationes frequentes vitentur. Omnes directores uniuscuiusque provinciae tertio quoque anno conventum simul habeant.

5. *De formatione directorum externorum.* — Si ab ipso exordio cursus studiorum, in collegiis, tum nostrorum tum externorum, in quibus vocationes sacerdotales facile aluntur, rectam ideam congregationis acquisierunt alumni, facilius evadent egregii directores. Maxime iuvat ad directorum formationem ut foveantur congregationes tum sacerdotum, tum alumnorum et clericorum in seminariis sive minoribus sive maioribus. Iuvant conferentiae et academiae in maioribus seminariis in quibus munus directoris clare et ample explicetur; opuscula et folia, rem breviter perstringentia ipsis tradantur. Missionarii nostri, quum in paroecias excurrunt, concionatores, operarii tempore exercitiorum, alloquantur sacerdotes de congregationibus prudenter et tempestive; instruant eos de congregatione et de munere directoris, de bono maximo quod ex congregatione in totam paroeciam cedere solet. Ipsi superiores in collegiis et residentiis sint parati ad dandas instructiones et ad distribuenda quae ducunt ad formationem directorum. Antequam ineant munus directorum, bonum esset ut sacerdotes etiam externi cum aliquo optimo directore tamquam adiutores morarentur. Directores saepe convenire debent simul cum experto ad audiendum et discutiendum, frequentem communicationem habere debent sum centro organizationis et secretariatu. Ephemerides marianae et praesertim periodicus centralis secretariatus, speciales articulos edant pro formatione directorum. Eodem fere modo similes articuli poni possunt in publicationibus ad sacerdotes destinatis. Ipsi directores studeant imbui spiritu congre-

gationis: « Ad Iesum per Mariam ». Quum plura ex iis mediis pendeant ex iussu et voluntate episcoporum, sunt humiliter et enixe rogandi ut velint tanto operi favere.

6. *De directorio parando omnino practico*: — Maxime utile erit pro directoribus parare opus quoddam quod simul theoriam et praxim contineat, et directores doceat omnia quae necessaria et magis utilia sunt ad rectam directionem congregationum. Poterit comprehendere partem theoreticam quae sex sequentia puncta respiciat: 1. De genuino fine congregationum et de spiritu interno; 2. De operibus zeli apostolici, socialibus, etc. deque recta sectionum organizatione; 3. De relatione ad alias societates; 4. De officiis directoris; 5. De modo promovendi congregationes et de difficultatibus praecipuis; 6. De foederationes tum nationali tum internationali et de secretariatu; Partem practicam, quae regulas, consuetudines, traditiones et aptissima media proponat; Partem historicam, quae breviter enucleet originem, et evolutionem congregationum, et fructus uberes ex congregationibus ortos; Partem documentariam, quae excerpta ex litteris Pontificum, ex epistolis Patrum Generalium, ex actibus Congregationum breviter proponat.

7. *Discussionis aliqua puncta*. — Discussio versari poterit circa punctum de munere directoris, et de usu eius auctoritatis, etiam in administratione rerum temporalium, de modo agendi circa electiones; et circa puncta IV et V de formatione directorum.

V. – De modo promovendi congregationes et de praecipuis difficultatibus.

A. DE MODO PROMOVENDI:

1. *Media quae dependent a superioribus*. — Bene cognoscant tum genuinum finem tum spiritum internum congregationis, qui constant ex documentis authenticis, ut bene efforment directores eisque animum dent in suo officio. Magni etiam faciant congregationes, seseque ostendant maxime benevolos ad activitates congregationis tum pias tum zeli apostolici. Directores aptissimos eligant eisque animum addant provideantque quoad fieri potest ut totum tempus omnesque vires in officio suo impendant. Nonnisi ex gravissimis causis directores mutent, nam ut scribit Pater Gen. Wernz anno 1909: « Saepe ideo congregationes nostrae spem de ipsis conceptam fallunt quia directores saepius mutantur ». Favores et privilegia, uti fas est, optimis directoribus provideant, seduloque invigilent ut congregationes, medium principale Societatis, maxime floreant, et ut opera quae a Nostris incipiuntur vel promoventur non independenter et novo quasi modo sed potius per sectiones congregationum fiant. Conferentiae et instructiones domesticae de congregationibus frequentius habeantur. Serio fiant investigationes in visitatione provinciali de statu congregationum ac de organizatione sectionum nec non de bono vel malo successu directoris in eius munere. Omnibus enim persuasum est ex bono directore pendere successum congregationis; ex altera parte clarum est nonnisi cura et diligentia superiorum bonos directores tum eligi tum formari tum in munere suo perseverare posse.

2. *Media quae pendent a secretariis*. — Sunt quae infra explicabuntur de foederatione. Ad haec praesertim reducuntur: Secretarius Provincialis qui quamprimum nominari debet, multum adiuvare potest congregationes tum nostras tum externas; animum directo-

ribus addendo, adiuvando consiliis, instructionibus, suggestionibus, etc. Novas congregationes in paroeciis instituendas curet, veteres renovabit, ephemerides et publicationes congregationis communicabit, erectiones et aggregationes Primae Primariae faciliores reddet, congressus conferentiasque, tum regionales tum locales, sive directorum sive sodalium promovebit; communicationem idearum et suggestionum inter sodales fovebit, periodicum marianum edet, etc. etc. Secretarius Nationalis simili modo congregationes totius nationis adiuvabit, necnon Secretarius Internationalis qui omnia faciet ad adiuvandum omnes congregationes toto mundo diffusas. Etiam Secretarii locales nominari poterunt ubi maior fructus speratur.

3. — *Media quae pendent a directoribus immediatis.* — Haec media etiam latius proponuntur in puncto « De Directore eiusque officiis ». Haec meminisse iuvabit. Munus directoris est summi momenti, complectitur cautam selectionem candidatorum, ad quod iuvabit ut in ipsa selectione partem habeant sodales, rectam et seriam eorum institutionem, in solida pietate, in zelo efficaci animarum, iuxta regulas et traditiones congregationum. Maxime promovebitur congregatio ex uniformitate et regularitate agendi directoris, ex promotione spiritus eucharistici et liturgici, ex operibus zeli apostolici, ex speciali devotione erga B. M. V., ex peculiari charitate sodalium, tum inter se tum cum aliis, ex fructuosa omnium communicatione cum directore, ex relatione activa cum aliis congregationibus.

4. *Conspectus generalis mediorum.* — Ad extendendas congregationes media continentur, scriptis, verbis, et actione. 1. Quae continentur scriptis: maxime respiciunt opuscula et folia ad propagationem congregationum destinata, quae earum naturam, praxim, brevem historiam, fructus et privilegia ostendant, importantque etiam editionem Directorii, manualium, articulorum qui in ephemiridibus etiam quotidianis divulgentur, maxime vero editionem ephemeridis, quae utile cum dulci componat. 2. Quae continentur verbis: complectuntur conferentias habendas, tum a nostris, tum ab aliis directoribus, tum ab ipsis sodalibus, tum a nostris oratoribus. Praesertim munus erit secretarii circumire dioeceses et de congregationibus dicere, praecipue coram sacerdotibus. 3. Quae continentur actione: Maxime promovebuntur congregationes per ipsam organizationem, sive per foederationem, sive per secretariatum, per congressus et conventus. Tum directores tum sodales congregationem promovebunt, inquirendo quinam sint apti ad congregationem amplectendam ut invitentur actione personali et organizata. Episcoporum benevolentia et cleri secularis multum faciet ad congregationes multiplicandas. Quare episcopi enixe sunt rogandi ut congregationibus faveant. Denique maximum medium erit ut ipsae congregationes nostrae perfecte omnino organizentur; ita enim fructus tales edent, ut alliciant ad congregationes promovendas et clerum et laicos. Quo magis congregati sentiunt se a congregatione iuvari ut ad perfectionem adducantur, contra pericula fidei et morum efficaciter muniantur, in solidis virtutibus proficiant, eo melius ad eam accedunt et ferventiores congregationum apostoli evadunt.

B. DE PRAECIPUIS DIFFICULTATIBUS:

1. *Ignorantia necnon notio falsa de natura et scopo congregationis* tum apud Nostros, etiam superiores et directores congregationum, tum etiam apud externos sive sacerdotes sive sodales. Ex hac ignorantia sequitur impossibiles esse congregationes secundum veram ideam organizatas: nemo enim dat quod non habet. Sequitur item minor aut falsa existimatio congregationum, uti incapacium magna faciendi aptarumque tantum ad devotulas formandas. Multi etiam ancipites haerent de principio selectionis et practice ignorant nonnisi aptos ad vitam ferventiorem in congregationem admitti debere. Alii e contra ita restringunt selectionem ut bonos arceant. Perperam etiam disputatur de operibus zeli apostolici quae tamen explicite et fortiter in regulis commendantur. N. B. His variis difficultatibus solutio proponitur in diversis punctis conspectus.

2. *De difficultatibus a sacerdotibus obiectis.* — Sacerdotes, etiam zelo praediti, nolunt congregationes instituere eo quod iam nimis sint onerati ministeriis variis et operibus. Ex eadem causa congregationes iam existentes negliguntur et pereunt. Nostri, qui possent magni esse auxilii iis sacerdotibus, vix de hoc curant, ita ut hi sacerdotes suis viribus reliquantur.

Respondendum huic difficultati ostendendo iis parochis congregationes maximi esse auxilii ad labores suos minuendos, dummodo sint bene organizatae, indicando media optima organizationis, parando

etiam libellos, instructiones, atque alia id genus ad vitam internam intensiorem et activitatem propriam in sodalitatibus excitandas.

3. *Ex multitudine societatum.* — Multiplicatio societatum eo progressa est in omnibus regionibus, ut opera fere omnia iam complectantur quae olim a congregatione eximie fiebant. Inutile ergo, vel etiam nocivum videtur congregationes novas instituere; immo et veteres relinqui debent, ne nimis oneretur populus.

Respondendum: 1. Si modernis associationibus ius datur surgendi et sese extendendi, multo magis hoc ius concedi debet congregationibus antiquitate venerandis et praeditis specialibus approbationibus Ecclesiae. 2. Congregationes autem suam utilitatem maximam etiam nunc praeseferunt quia: *a*) absque ullo dubio et omnibus fatentibus praebent cum intensitate speciali perfectionem illam quae est basis cuiuslibet actionis catholicae; *b*) Immo, experientia teste, cum congregationes procedunt ad opera exteriora, specialem efficaciam habent et fructus uberiores producunt; *c*) ubi ipsae congregationes initium vel auxilium speciale actioni catholicae praebent, haec securius procedit et modo magis consono doctrinae et criteriis Ecclesiae; *d*) denique congregationes possunt esse vinculum actionis catholicae, quia iuvenes et viri actionis catholicae pietatem solidam et genuinum spiritum catholicum recipiunt in congregationibus, quae optime suppeditare possunt spiritum illum verae devotionis et sacrificii qui tam optatur ad perseverantiam in operibus catholicis promovendis. Semper autem inter congregationes et alias societates obtineri poterit quaedam moralis unitas et cooperatio efficax, sive per sectiones congregationum, sive per communicationem membrorum.

4. *Ex nimia occupatione catholicorum in societatibus.* — Aliqui catholici queruntur se tot societatibus iam esse affiliatos ut, tempore libero omnino occupato, vitam domesticam degere nequeant.

Respondendum: Haec difficultas, quod videlicet minuatur vita domestica, propter occupationes quas quaelibet societas importat, generalis est. Respondendum quod agitur de conditione quadam vitae modernae, quae auxit et extendit spiritum socialem; curandum est ut iuvenes et mulieres et viri nomen dent societatibus catholicis, secus ad nocivas societates ibunt. Insuper, promovendo congregationes, non est mens ut omnes ipsis aggregentur, negligendo officia erga proprias societates, sed illi dumtaxat qui sponte congregationem ingredi volunt.

5. *Ex antiquitate congregationis.* — Antiquata est congregatio, immo nec satis democratica, nec characterem virilem nec activum efficaciter colit. Cedendum est societatibus recentioribus et magis practicis.

Respondendum: Haec difficultas, si vere exsistit, ex eo oritur quod congregatio nec bene organizata nec apte directa est, quod ex ignorantia aut incapacitate directoris provenit.

6. *Praecipua puncta disputationis.* — 1. Quomodo practice promovenda est recta idea de congregationibus, tum apud nostros, tum apud exteros. 2. Quomodo aptius possunt superiores in praesentibus adiunctis suum grave munus erga congregationes implere. 3. Quomodo practice congregationes institui et evolvi possunt, hodiernis temporibus, inter multiplices societates, adiuvando eas semper et auxilium praebendo parochis et sacerdotibus. 4. De modo aptandi congregationes exigentiis modernis salva earum natura et spiritu interno.

VI. - De foederatione tum nationali tum internationali, id est de secretariatu et unione.

1. *De necessitate et utilitate organizationis.* — Haec organizatio commendatur regula 68 (1910). Magna tamen libertas sapienter in praxi relinquitur. Evidens est quanta sint utilitas et necessitas huius reorganizationis: pro uniformitate directionis et interpretationis regularum, ad adiuvandas congregationes et ipsos directores, ad maiorem influxum boni in societatem, ad organizanda opera quae important aliquam extensionem, ad celerius divulgandas instructiones datas a superioribus ecclesiasticis, ad cooperationem majorem cum aliis societatibus, ad communicationem inter congregationes diversorum locorum, ad divulgandas ideas, initiativas, methodos et praxes; ut servetur character proprius congregationis, et vita multarum sodalitatum, ut novae sodalitates instruantur et magis propagentur: ad promovendum in organizatione catholica spiritum supernaturalem, ad maiorem gloriam B. V. M., ad uberiorem communicationem precum, meritorum, etc. inter sodales.

2. *De natura et scopo hujus organizationis.* — Sedulo distinguendum est inter secretariatum et unionem. Secretariatus est organum dum est inter secretariatum et unionem. Secretariatus est organum centrale coordinationis, instructionis, communicationis activitatis et initiativae, quin necesse sit ut congregationes ipsae inter se uniantur. Effectus tamen naturalis secretariatus erit viam sternere ad unionem. Unio vel foederatio est activa cooperatio congregationum inter se organizatarum ad fines proprios sodalitatis efficacius et intensius obtinendos.

Discrimina praecipua sunt haec: 1. Quoad originem: secretariatus constituitur a superioribus Societatis et ecclesiasticis; unio seu foederatio constituitur ab ipsis congregationibus cum approbatione superiorum. 2. Quoad constitutionem: secretariatus constat patribus et sacerdotibus saecularibus; unio sue foederatio constat directoribus

et congregatis qui comitatum directivum efformant iuxta rationem sponte statutam. 3. Quoad auctoritatem: secretariatus proprie non dirigit auctoritative, uti apparet ex ipsa definitione data. Comitatus directivus unionis vel foederationis dirigit cum ea potestate, quam vi statutorum debite approbatorum accipit. 4. Quoad scopum: Scopus secretariatus est: divulgare naturam, scopum, genuinum spiritum sodalitatis, parare et adiuvare erectionem novarum sodalitatum; promovere influxu et bonis officiis unitatem actionis variarum sodalitatum; unire omnes congregationes in ambitu suo, aliquo vinculo communi propagare idem numisma, diploma, manuale; divulgare inter diversas sodalitates decisiones Sanctae Sedis, episcoporum, Primae Primariae, uno verbo quae illis sunt alicuius momenti; edere periodicos et opuscula ad propagandam sodalitatem; privilegia et iura congregationum illustrare, atque populum benevolum erga eas reddere; cum episcopis humillime agere ut congregationes protegant et utilibus praescriptionibus promoveant; erigere sectiones speciales in ipso secretariatu ad adiuvandos diversos coetus congregationum, v. g. operariorum, ancillarum, studiosorum, etc.; communicare cum aliis secretariatibus aliarum regionum ad formandam et retinendam unionem internationalem, etc. etc.; congressus et conferentias organizare.

Quoad unionem vero magna reliquenda est libertas propter varias circumstantias in variis regionibus existentes. Quando nulla est statuta unio vel foederatio, secretariatus conatur eam excitare. Interea tamen implet aliqua ratione, partialiter et temporanee saltem, officia ipsius foederationis, quae sunt praecipue: congregationes illuminare, promovere, conservare, et corroborare, novasque recte organizatas promovere, conventus et congressus simul cum secretariatu in loco suae ditionis praeparare. 5. Notandum est quod per se multo facilior est constitutio secretariatus quam foederationis. Quum tamen foederatio exprimat clare et auctoritative voluntatem congregationis, potest in praxi multo maiorem influxum exercere. Exercet enim circa ipsas congregationes munus idem quod singulae congregationes in individuos sodales. Quando constituta est foederatio, cessat secretariatus facere quae sunt propria congregationis. Curat tamen ut activitas foederationis constanter perseveret. Quando in aliqua dioecesi, regione vel natione, foederatio congregationum constituitur, eo ipso secretarius evadit director vel saltem assistens ecclesiasticus, comitatus paralleli (nationalis, dioecesani, localis), ita ut sit anima totius activitatis, quam comitatus praesefert, et

impedire possit omnia quae evidenter adversentur principiis essentialibus congregationis. Quod hic asseritur de secretario est stabiliendum in omnibus statutis foederationum.

3. *De modo practico organizationis.* — Ratio practica fere haec esse videtur: secretariatus centralis Romae cuius organum erit ephemeris periodica pro moderatoribus, latina lingua scribenda; secretariatus nationalis in praecipuis nationibus, secretariatus provincialis in singulis provinciis Societatis; secretariatus dioecesanus in qualibet dioecesi, et si bonum videbitur, secretariatus interdioecesanus in sedibus metropolitanis; secretariatus localis. Bonum esse videtur quod secretarius tum internationalis tum nationalis tum provincialis sit semper ex NN., dioecesani et locales esse poterunt ex clero dioecesano, ab episcopo designati aut approbati.

4. *De ordine practico procedendi.* — Licet theoretice incipiendum forsan esset unione congregationum, practice melius esse videtur in praesentibus circumstantiis instituere secretariatus, tum primo Romae, tum in provinciis singulis Societatis, tum in nonnullis nationibus. Ope horum secretariatuum benevolentia episcoporum facilius obtinebitur, et poterunt secretariatus dioecesani institui.

5. *Puncta discussionis.* Paragraphi II, III, IV, maxime vero quae respiciunt organizationem practicam tum secretariatus tum unionis et foederationis; versabitur etiam discussio circa expensas organizationis.

VII. - De futuro congressu parando.

1. *De finibus congressus futuri.* — 1. Tres fines futuri congressus excogitari possunt: Ut speciali modo manifestetur filialis devotio in honorem B. M. V., et per ipsum conventum vis et robur sodalitatum; ut per mutuam communicationem, plenior accipiatur scientia de praesenti statu et numero coetuum aggregatorum, praesertim externorum, et de mediis aptis ad eos promovendos et restaurandos; ut fideles instruantur de vero et genuino spiritu congregationis et ut fama, honor, atque bona existimatio congregationis augeatur. 2. Conferentiae praesentes ad secundum et tertium finem tendebant, eos tamen perfecte attingere non possunt sive propter angustias temporis, sive etiam ut vitetur quaelibet apparens concurrentia cum congressu eucharistico. 3. Attamen, ut fieri potest, media aptissima sunt indicanda et postea applicanda ut futurus congressus quam optime succedat in honorem B. V. M. et promotionem congregationum.

2. *De mediis practicis parandi congressus.* — Haec sunt media quae excogitavimus, sed libenter audiemus alia quae a RR. PP. delegatis suggerantur.

1. Organizatio iuxta conclusiones practicas nostrarum conferentiarum ab Adm. Rev. Patre Nostro approbatas. Ea organizatio instituenda est in sodalitatibus, sectionibus, unionibus, secretariatibus, ut experientia teste cognoscatur quaenam media ex propositis magis practica et efficacia sint ad rem apte perficiendam; ut eo modo paratio futuri congressus facilior evadat.

2. Oratio tum publice tum privatim fiat ad obtinendam per divinam assistentiam et intercessionem B. V. M. felicem exitum congressus.

3. Contributiones pecuniariae. Ad hunc congressum parandum et perficiendum expensae magnae erunt. Quapropter necesse est, de-

bita cum prudentia et moderatione, pecunia comparetur quae a liberalitate sodalitatum et sodalium certe obtinebitur.

4. Investigatio quam exactissima fiat de sodalitatibus nunc existentibus, ut statistica completa instruatur sodalitatum et sodalium. Inquirendum est non tantum de nostris sodalitatibus, sed etiam de externis, quae Primae Primariae aggregata non sunt, vel alii Primariae sunt aggregatae; immo et de variis societatibus quibuscum sodalitas collaborari vel concurrere potest; uno verbo, inquisitiones continuentur et perficiantur quae ad parandas praesentes conferentias inchoatae sunt.

5. Promulgatio congressus propositi. Omnimode et ab omnibus propagetur intentio nostra de futuro congressu, ut omnes sodalitates et sodales de eo certiores fiant et ad eum parandum nobiscum collaborent.

6. Exhibitio paretur quae quasi ante oculos ponat activitates omnium congregationum: publicationes, programmata, catalogos, sectiones, photographias, tum coetuum tum domorum, et sacellorum, tum operum zeli apostolici, etc., diagrammata quae exhibeant modum organizationis, caeremonias religiosas, numerum, distributionem congregationum ubique terrarum, etc. etc.

7. Programma congressus mature parandum est, ut provideri possint conferentiae, sectiones, tum religiosae tum sociales, discussiones et alia huiusmodi diversis linguis habenda. Proinde hoc programma comprehendere poterit: sectiones generales pro sodalibus cuiuscumque nationis; sectiones particulares pro congregatis singularum nationum vel linguarum; academiam solemnem; solemnes pias coerimonias; expositionem tum photographiarum congregationum etc., tum diagrammatum, tum etiam librorum et ephemeridum editarum.

Acta Conferentiarum (1).

SESSIO I.

Die 21 maii, mane hora nona, A. R. P. Generalis, una cum PP. Assistentibus, caeterique omnes, qui Sessioni assistere optabant, in aulam maximam collegii Germanici convenerunt, unusquisque in loco sibi adsignato. Et statim A. R. P. Noster omnes his verbis salutavit:

Ex toto corde vos saluto, RR. PP., qui ex universa Societate ex novo et vetere mundo huc Romam venistis ad consilia conferenda de Marianis Congregationibus magis magisque promovendis. Nostris temporibus magis quam umquam sentitur necessitas eiusmodi associationum, quales sunt nostrae Congregationes, dummodo vero spiritu eis proprio animentur, dirigantur et hodiernis necessitatibus plene accomodentur.

Nostri consessus, quamvis modesti sint et potius familiares, conferent, ut spero, ad hunc finem obtinendum, sub patrocinio illius, quam nos omnes ut Matrem et Reginam colimus, intercedentibus S. P. N. Ignatio et S. Francisco Xaverio, et omnibus Fratribus, qui cum Christo in coelo gaudent, necnon B. Andreas Bobola, cuius festum hodie celebramus, qui etiam insignis fuit cultor B. M. V.

Incidunt dies consessus nostri in dies Rogationum et in dies qui Eucharisticum Congressum praecedunt, et hoc spem auget Deum per Mariam uberes gratias largiturum ad finem obtinendum, ad roborandum scilicet magnum illud opus Congregationum Marianarum. Ad Iesum per Mariam!

---

(1) *Ut Acta harum conferentiarum et praesertim discussiones rite intelligantur, prae oculis omnino habendus est « brevis conspectus »* eorum, quae ad Congregationes Marianas promovendas et dirigendas maxime inservire possunt, quaeque Patribus Delegatis proposita sunt.

Inquantum fieri potest semper adero his consessibus sed nolim ut mea praesentia ullo modo impediat RR. PP. quominus plena libertate dicant quid sentiant: hoc enim a nobis valde desideratur, quia conferet ut sciamus quae ad Congregationes promovendas facienda sint.

Cum tempus valde breve sit, statim in medias res ingrediamur. Prius tamen R. P. Procurator Generalis breviter exponet quis sit status Congregationum Marianarum, secundum ea quae ex Provinciis missa sunt.

Tunc P. Procurator Generalis statum actualem Congregationum his verbis exposuit:

Reverendi in Christo Patres: Post verba ab A. R. P. Nostro facta, quibus nos omnes hortatus est ut in labores marianos animo et opibus incumbamus, non restat nisi ut opus nostrum in nomine Domini incipiamus. Statim proinde quaestionem nostram aggredior.

Atque primum, quoniam praeses (licet forte potius nomine quam re) Patribus, ad hos conventus parandos assignatis, datus sum, mei muneris esse duco Delegatis Provinciarum ea manifestare, quae ab his Patribus acta sunt, atque, ut felix et ad usum accomodatus esset horum Comitiorum exitus, sapienter statuta.

Uti nostis, RR. PP., Comitiorum scopus ab A. R. P. Nostro assignatus duplex est: 1.us). Quis nunc sit in variis mundi partibus status Congregationum accuratius cognoscere. 2.us) Indagare, quantum fieri potest, quid facto opus sit ut Congregationes melius ad hodiernas necessitates aptatae magis magisque finem sibi praestitutum attingant. Ut hic duplex scopus obtineretur, relationes a singulis Provinciis expetitae sunt, quae nonnullis quaestionibus concrete propositis respondendo aptae essent. Mens erat has omnes relationes in unum colligere atque ita Patrum Delegatorum, imo totius Societatis oculis conspiciendum subiicere quidquid ad Marianas Congregationes spectat. Quo vero res melius ad hoc munus procederent, Patres quattuor ex variis partibus Romam vocati sunt. At forte tum temporis adsignati brevitas tum rationes aliae, quas ignoro, quaeque tamen factum explicare possunt, in causa fuerunt cur relationes istae statuto tempore ad nos non pervenerint. Mittendae enim erant Romam (uti praescripserat A. R. P. Noster) ante finem mensis ianuarii. Ad nos autem nonnisi perpaucae tempore statuto pervenerunt: aliae tantum mense aprili, aliae vero, quae non ita apte quaestionibus propositis responderunt, aliae demum adhuc desiderantur! Hinc factum est ut Patres assignati

ea integre perficere non potuerint quae optabamus, praesertim ad notitiam perfectam habendam status praesentis Congregationum.

Nihilominus Patres statim animum ad hoc adiecerunt ut ex relationibus et lucubrationibus, quae prae manibus haberent, ea omnia diligenter colligerent, quae praesertim ad secundum finem horum Conventuum obtinendum conferrent. Demptis iis, quae peculiares Congregationes respiciunt, quaeque proinde ad omnes, sine discrimine, tamquam exemplum proponi non possunt, ex iis omnibus documentis brevem conspectum confecerunt eorum, quae ad Congregationes Marianas promovendas et dirigendas conducerent. Hic brevis conspectus, typis impressus, et qui res in his comitiis tractandas continet, omnibus Patribus delegatis, in Europa degentibus, missus est. Opus igitur a Provinciis confectum, pro quo gratias agimus maximas, maiores etiam habemus, valde utile fuit ad hunc conspectum conficiendum. Pari laude digni sunt Patres, qui lucubrationes, quarum aliquae pulcherrimae sane, ad nos tempestive miserunt et magnae nobis utilitatis fuerunt. Harum optimas quasque et compendium relationum typis dare meum est, si Divina Providentia, Congregationibus Marianis ope non avara manu ferentibus, propositum nostrum fortunabit.

Hisce positis evidens est Patres, qui conspectum iam impressum confecerunt, melius quam ceteros quid a Provinciis dicatur, desideretur, postuletur, cognoscere, quippe qui Provinciarum scripta huc missa diligenter legerunt. Hinc nemo miretur si ipsi relatores pro istis Conferentiis electi sunt. Eorum munus erit, RR. PP., materiam discutiendam in unaquaque sessione vobis proponere, ac vestris quaestionibus atque difficultatibus respondere. Prae oculis enim semper habendum est non agi hic de Congressu aliquo Mariano, in quo dissertationes admitti possunt (tunc multa et bene Patres omnes, qui in lucubrationibus et relationibus adlaborarunt disserere possent!), sed agi de quibusdam sessionibus practicis, in quibus, quantum fieri potest omnia breviter et enucleate simul exponenda sunt.

Quae hucusque dicta sunt ad finem secundum horum conventuum obtinendum spectant. At finis primus, qui optatur, quique in cognoscendo statu praesenti Congregationum, in variis mundi partibus, positus est, praeteriri nullo modo debet. Hunc autem statum clare perspicere possemus si 1.) vis et roboris Congregationum; 2.) si operum, quae ipsae exsequuntur; 3.) si librorum et ephemeridum, quos imprimunt, accuratam notitiam haberemus.

Ad primum quod attinet, revera fatendum est plura desiderari in Provinciarum relatiniobus; aliae enim questionibus in hac re

propositis non bene respondent, et aliae nihil dicunt. Valde bonum esset, v. g. scire quod in propositis quaestionibus, sub littera C. 1., popostulabatur: quot nempe sint in territorio uniuscuiusque Provinciae Congregationes a Nostris directae, quot ab externis, quot circiter sodales, etc. Sed paucae omnino relationes de hac re loquuntur, deest proinde materia ad computationem faciendam. Nihilhominus nonnihil etiam de hoc argumento dicendum est, ex documentis, quae apud Primam Primariam extant, collectum: ex quibus duo veluti prospectus efformati sunt. Alter Congregationum omnium Primae Primariae aggregatarum summam respicit, alter earumdem numerum secundum diversas personarum classes exhibet. Computatio totos novem annos, qui inter diem 1 ianuarii 1913 et 31 decembris 1921 iacent, comprehendit. Pro tempore quod annum 1913 antecedit, iam possidemus, ut nostis, tabulas a P. Mullan, viro de Congregationibus valde bene merito, impressas.

Iam ex iis prospectibus simul collatis colligitur toto hoc tempore Primae Primariae fuisse aggregatas Congregationes 9508: ex iis 2486 pertinent ad sexum virilem; 6634 ad foeminaeum sexum; 388 sunt, ut dici solet, mixtae. Primas autem fert natio Germanica, quae hoc temporis spatio 2912 Congregationes instituit, quarum 694 pro maribus, 2218 pro foeminis. Secundo loco veniunt Status Foederati Americae, qui Congregationes aggregatas numerant 1644, virorum 320, mulierum 1141, mixtas 183. Tertium locum tenet Austria: Congregationes: 1214; virorum 330, mulierum 865, coeterae mixtae; 4.m) Gallia: Congregationes: 462, virorum 54, mulierum 375; 5.m) Hispania: Congregationes: 375, virorum 144, mulierum 202; 6.m) Helvethia: Congregationes: 336, virorum 132, mulierum 202; 7.m) Italia: Congregationes: 322, virorum 144, mulierum 129; 8.m) Belgium: Congregationes: 215, virorum 62, mulierum 153; 9.m) Hungaria: Congregationes: 213; virorum 61, mulierum 152; 10.m) Neerlandia: Congregationes: 210, virorum 82, mulierum 117. Caeterae Nationes numerum ducentenarium non attingunt.

Quod si scire volumus quo ordine procedant nationes respectu Congregationum virilis sexus, quae certe nobis magis cordi esse debent ex numeris superius allatis, regiones hoc ordine se excipiunt: Germania, Austria, Status Foederati Americae, Italia et Hispania, Helvetia. Si vero scire optamus quomodo Congregationes Sacerdotum et Clericorum, quae etiam magis nobis cordi esse debent, procedant, ex prospectibus colligimus Austriam 27 possidere, Germaniam 17, Italiam et Helvetiam 8, Hispaniam 5, Galliam et Hungariam 3, Angliam, Hiberniam, Iugoslaviam, Indiam, Status Foederatos 2.

Hi numeri profecto ad plenam et accuratam status nostrarum Congregationum cognitionem comparandam non sufficiunt. Conferri enim deberent cum numero Patrum, qui in singulis regionibus ad laborant, et cum numero catholicorum, qui in eisdem reperiuntur. Attamen plane, ut mihi videtur, demonstrant, Congregationes Marianas non solum non esse demortuas, verum etiam vivere et florere, et spem facere laetiorum fructuum, dummodo nos omnes rectiorem, penitioremque, ex his conventibus Congregationum, notionem haurientes, atque nostrorum primorum Patrum exempla sequentes, totum terrarum orbem igne illo accendamus, quo erga B. V., Reginam nostram, et erga animarum salutem accensi esse debemus.

Vivere atque florere Congregationes Marianas patet etiam ex numero Congregatorum, qui colligi potest ex aliquibus relationibus. Aliqua breviter attingam ne longior sim: 1° In Provincia Germaniae Sup. Sodales 873.616 numerantur; viri 33.360; adolescentes 239.650; mulieres 36.265; puellae 620.000; praeterea 14.891 ad Congregationes mixtas pertinent; 2° In Missouriana, ex computationibus a P. Relatore confectis, numerus sodalium ad 1.143.840 ascendit; 3° In Marylandica-Neo Eboracensi sodales 10.000 numerantur a Nostris directi; 200.000 a sacerdotibus externis; 4° In Polonia sodales 159.500; 5° In Neerlandica ad 100.000; 6° In Lugdunensi: sodales viri 1800, foeminae 7948 in regione gallica; in Syria sodales 5966; in Armenia 30 sodalitates et in Aegypto sodalitates 56; 7° In Austriaca sodales 7.710 a Nostris diriguntur; 38.850 a sacerdotibus externis; 8° In Belgica sodales coetus masculini saltem 20.284 numerantur; foeminini vero 78.864; 9° In Neo-Aurelianensi sodales 1546 a Nostris directi, 7080 ab externis; 10° Demum, ut alia omittam, in novis vice-provinciis Iuguslavica sodales 44.000, et Cecoslovaca 17.280 numerantur.

Ex iis paucis et valde imperfectis notis statisticis sat clare apparet progressum Congregationum, quoad numerum spectat, haud exiguum esse. Attamen si in qua alia associatione, certe in Congregationibus Marianis non numerus sed spiritus et valor internus ante omnia considerari debet. Ex relationibus omnium Provinciarum, quas Patres Delegati, si optant, videre possunt, ipsi sibi iudicium de statu Congregrationum in singulis regionibus efformare poterunt. Hic solum quaedam breviter innuisse sufficiat.

Cum gaudio videmus fere in omnibus Provinciis adesse saltem ali-

quas vere florentes Congregationes, paucissimas vero esse Provincias in quibus Congregationes Marianas passim florentes dici possint.

Cuius rei duae praecipuae causae esse videntur; 1º Quod Nostri ipsi non bene cognoscant spiritum, indolem, historiam, summum momentum Congregationum B. M. V.; et: 2º quod moderatores nec satis ad munus suum rite obeundum praeparentur, et ab eo facilius mutentur. Unde videmus in aliquibus Provinciis alias associationes, nostro spiritui minus conformes et minus ad maiorem Dei gloriam conferentes, Marianarum Congregationum locum occupasse. Praesertim quoad Congregationes virorum, quae, ut ex historia nostra constat, in Societate tantopere florebant, in compluribus Provinciis multa desiderantur. Quod, ex parte saltem, ex nimia cura provenit, quam Nostri Congregationibus Marianis mulierum tribuunt, quas tamen antiquitus a Nostris regi Praepositi Generales non permittebant. In aliquibus Provinciis eo usque res pervenit ut Congregationes Marianae etiam ab ipsis Episcopis censeantur solummodo pro foeminis et puellis esse institutae, pro viris vero associationes aliorum Ordinum Religiosorum. Fatendum tamen est hunc ad solas mulieres usum, post regulas a piae memoriae Patre Wernz editas, minorem in dies esse.

Peculiari quoque mentione digni sunt varii Congressus Mariani, his ultimis temporibus convocati, praesertim Congressus Pan-Americanus, qui Episcoporum, Sacerdotum e clero tum saeculari tum regulari, virorum catholicorum iudicio, non modo quid valeant Congregationes palam demonstravit, sed, quod melius est, fructuum uberrimorum laetissimam spem fecit: quam inanem non fuisse 110 Congregationes ex illo Congressu exortae confirmant. Nec silentio praetereundum est conventus omnium Moderatorum in Hispania, Matriti habitus, eodem mense septembri, in quo plura eaque optima statuta sunt, quae si executioni mandentur, certo certius Congregationes Marianae in Hispania optime de re catholica merebuntur.

Vitam et florentissimam vitam habere Congregationes luculenter etiam testantur tum ephemerides Marianae, tum libri, qui his ultimis temporibus impressi sunt. Quorum omnium catalogum ut numeris omnibus absolutum faceremus, omnes Provincias poposcimus ut quidquid de Congregationibus Marianis praelo commisissent Romam mitterent. At etiam in hac re ab aliquibus Provinciis responsio adhuc desideratur. Nihilominus ex iis, quae accepimus et ex notitiis aliunde sumptis, haec colligere possumus: Periodica Mariana quae ubique imprimuntur, saltem 40 adnumerantur, quarum nonnulla revera nota digna sunt: uti v. g. periodicum hibernicum « Madonna », cuius exemplaria pro quolibet numero ad 40.000 recensentur. In Provincia Austriae quinque periodica publicantur, pro diversis congregatorum coetibus, et exemplaria summam 77.300 attingunt. Idem dicendum de Neerlandica Provincia, cuius periodica 23.114 subscriptores enumerant. Nec desunt alia etiam periodica, quorum divulgatio certe magna est, sed quot exemplaria imprimantur ignoramus.

Ad libros marianos quod attinet, omnes qui ad nos delati sunt in hac aula vestris oculis subiiciuntur, ut Provinciae illae, quae multum in hac re adlaborarunt, gaudeant in Domino et in opere perseverent. Coeterae vero a somno se excitent et aliarum exemplo ductae tanto demum operi incumbere incipiant.

Sed antequam huic qualicumque relationi finem impono, in memoriam verba revoco, quae Summus Pontifex Pius X, b. m., fecit die 7 septembris 1904, italis Marianis Congregatis, qui Romam convenerant, « Vobis omnibus, dixit Summus Pontifex, vobis omnibus, pueris, adolescentibus, iuvenibus studiis incumbentibus, opificibus, viris adultis ex corde gratulor, quod Marianis Congregationibus nomen dedistis: quare coram me adstare mihi videtur christianorum virorum exercitus selectus, christianorum ferventium, christianorum videlicet, qui parati sint, auspice B. V. Maria, divinaeque Omnipotentiae auxilio suffulti, durissima quaeque sustinere, maxima quaeque aggredi ad fidem tutandam, ad religionem propagandam! ».

Reverendi in Christo Patres! Nonne haec verba clare nobis indicant quinam sit Congregationum genuinus finis, homines scilicet efformare nomine christiano dignos, et ita Sanctae Matri Ecclesiaee xercitum parare ad praelianda praelia Domini? Nonne finis hic ille idem est, quem S. Parens noster nobis assignavit cum dixit: omnia ad maiorem Dei gloriam facite? Impigre igitur et sine intermissione adlaboremus! Adlaboremus nullis territi aut fracti difficultatibus, quae zeli apostolici operibus solent obsistere, nec parvae nec paucae! Vires et vitam ipsam, si necesse sit, impendamus in bonum Marianarum Congregationum. Hoc enim a nobis expostulat finis vocationis nostrae, hoc denique ostendet nos genuinos esse filios dilectissimae Matris nostrae, Societatis Iesu.

Electio Praesidum.

Hisce dictis P. Procurator Generalis Patribus Deputatis significavit tres Patres, inter ipsos seligendos esse, ut munere Praesidis, Vicepraesidis et Secretarii in sessionibus fungerentur. Ne autem Patres in hac electione tempus tererent, ipsis proposuit placeret ne ut ad

hoc munus PP. Rutten, Fiocchi et Ayala eligerentur: cui propositioni omnes consenserunt. Tunc P. Procurator tres illos Patres rogavit ut ad mensam praesidum accederent, ut ita sessionum labores statim incipi possent.

Materia discussionis in prima sessione.

DE GENUINO FINE ET DE SPIRITU INTERNO CONGREGATIONIS.

P. RUTTEN: Praeses sessionum, paucis verbis Patres Congregatos salutavit, deinde statim Patrem Gareschè, relatorem rogavit ut materiam discutiendam in hac sessione Patribus proponeret.

RELATIO P. GARESCHÉ: Breviter omnino, sed multo cum amore, discussionem de genuino fine et spiritu interno Congregationis incipiam. Nos enim per duos et dimidium menses laboravimus ad has discussiones parandas, quae autem dicenda censuimus in « *Brevi Conspectu* » habetis. Volumus proinde non ipsi tempus terere, sed potius quae vos dicenda habetis, intento animo, audire.

Attente etiam relationes, a Patribus Delegatis Romam missas legimus, in quibus fere omnes consentiunt magni esse momenti recte intelligere, clareque enuntiare finem et spiritum proprium Sodalitatis Marianae. Etenim ex his male intellectis multa incommoda Congregationibus ubique fere terrarum eveniunt.

Atque hoc primum optandum esse videtur, ut Nostri plane consentiant de fine et spiritu Congregationis, deque scopo, mediis, methodis, ad hunc finem attingendum. Congregatio enim B. M. V. esse inter praecipua media nobis a Deo concessa, ad homines salvandos atque sanctificandos nemo est qui non videat. Etenim sicuti Exercitia Spiritualia maxime valent ad homines a peccatis suis convertendos, recteque dirigendos in novae vitae electione, sic etiam Congregatio Mariana singularem habet efficaciam eos in bonis propositis confirmandi, recteque dirigendi ad vitam perfectam fideliter usque ad finem degendam.

Sed, nostris temporibus praesertim, utilis dicenda est talis societas, quia indigentiis hodiernis modo tam efficaci respondere potest. Crescit enim in dies necessitas organizzationis catholicae, quam tamen ita perfici oportet, ut cum debita pietate et docilitate activitas exterior uniatur. Iamvero vix ullibi in Ecclesia pro laicis tale invenitur medium tum vitae interioris maxime fovendae tum etiam opera exteriora per homines bene formatos optime dirigendi, qualis est Congregatio Beatae Virginis Mariae, dummodo sit recte organizata et rite

directa. Haec autem recta organizatio et directio scientiam veram de fine et spiritu Congregationis absolute requirunt.

Sed ex relationibus patrum delegatorum sat clare apparet Congregationes ubique terrarum fructus tam optatos tamque Ecclesiae necessarios vix omnes producere. Languescunt nunnullae Congregationes, aliae penitus relinquuntur, multae licet devotionem veram et sinceram erga Dei Matrem colere non desinant, fere nihil tamen faciunt ut haec devotio redundet in exteriora opera, ea maxime varia et fructuosa zeli apostolici, quibus congregati secundum statum et loci, temporisque opportunitates laborare debent tum ad proximos salvandos tum etiam ad fidem propagandam et propugnandam.

Si causa vero principalis inquiritur quae maxime impediat debitum progressum Congregationum, inveniri videtur in ignorantia practica tum de earum genuino fine, tum de spiritu interno, qui exterius sese manifestare debet in operibus charitatis et pietatis. Iam nostrum est rectam atque veram scientiam de Congregationibus Marianis tum plene possidere, tum aliis omnibus indefesso labore communicare. Etenim iuste expectant a nobis omnes sacerdotes atque fideles plenam et practicam cognitionem de Congregationibus Beatae Mariae Virginis, nostrae tutelae speciali modo commendatis.

Id eo magis est necessarium hodiernis temporibus, quo plures sunt societates fere quotidie exsurgentes, quae fere luctari videntur cum antiquis congregationibus; quo in infinitum multiplicantur tot distractiones, activitates, oblectamenta, recreationes, quae omnia dissipant atque ad praecipitia trahunt corda hominum. Nunc ergo praesertim clare scire debemus atque strenue propugnare veram ideam Congregationis Marianae.

Hanc ideam de genuino fine et spiritu interno Congregationis ex documentis authenticis et praecipue ex prima regula Adm. Rev. P. Wernz, hauriendam esse censemus. Quae autem statuimus, in promptu habetis, in *Brevi Conspectu* typis impresso. Libenter audiemus correctiones, additiones, suggestiones; libenter etiam respondebimus si quae quaeruntur de rebus ibi tractatis. Inculcandum est Congregationem non esse confraternitatem pietatis, nec opus mere sociale sed societatem religiosam, efficacia singulari ad homines formandos selectos praeditam. Devotionem filialem erga B. M. V. medium esse ad fovendum zelum ferventem qui in opera apostolica, ad salutem proximorum et ad fidem defendendam redundet. Proinde non omnes esse admittendos indiscriminatim in Congregationem, sed eos solum qui fundatam praebent spem vitae ferventioris in honorem B. M. V.

degendae: qui etiam instrui et formari debent magna cum diligentia. Congregationes esse pro viris licet secundario etiam pro foeminis; quare Congregationes virorum esse prae mulieribus propagandas.

Media, quae notavimus ad spiritum fovendum Congregationum, finemque attingendum efficacia esse videntur, tandem consentimus quod si Director est ad officium suum omnimodo aptus, habetque educationem specialem, tempus sufficiens, adiumenta debita ex parte superiorum, Congregatio florebit, fructusque uberes portabit.

De directore tamen in proximo puncto est loquendum.

Discutienda proposuimus nonnulla, quae maxime in relationibus veniunt, tamen multa alia circa hoc punctum moveri possunt. Quomodo melius promovenda est vera et filialis devotio erga B. V. M.? Quid dicendum de controversia practica circa selectionem membrorum? Quaenam essentialia dici possunt in Congregatione? Quaenam de regulis dicenda aut quaerenda? Item de indulgentiis si quid est proponendum in hoc loco moveri potest.

Si responsum unius vel alterius ex his quaestionibus adumbrare volumus, dicendum esse videtur, quoad controversiam practicam de electione membrorum, eos admitti debere in Sodalitatem qui solidam spem praebent observandi regulas et vitam ferventiorem degendi, sive pauci sint sive multi. Est ergo error vere dolendus numerum potius quam fervorem in sodalitate desiderare. Ex alia tamen parte maxime optandum est ut multi sint digni qui in Congregationem admittantur. Iterum si quaeritur de essentialibus in Congregatione, videtur distinguendum inter ea quae sunt essentialia pro aggregatione Primae Primariae, quae pauca sunt, et ea quae requiruntur ut congregatio digna sit tanto nomine. Pro aggregatione requiritur ut B. V. M. sit patrona principalis, ut sodalitas sit rite erecta ab auctoritate ecclesiastica, ut habeatur director rite nominatus, ut in aliqua sede sodalitas constituatur. Ut sodalitas digna sit nomine, plura omnino requiruntur, v. g. ut habeantur conventus regulares, simul ac communiones generales, ut activitates pietatis et charitatis aliquo modo sint organizatae, ut sit selectio atque formatio seria candidatorum, etc.

Et his dictis reliquimus verbum Patribus Delegatis.

DISCUSSIO: § 1. *De activitate externa Congregationis: an haec activitas sit Congregationi necessaria.*

PRAESES: Suntne aliqua petenda aut objicienda circa paragraphos primam vel secundam *Brevis Conspectus* quem omnes prae manibus habent?

P. QUIRICO: Non potest controversari Congregationem debere esse sodalicium religiosum cuius finis sit sanctificatio membrorum per cultum B. M. V. Et omnes Directores tum Nostri tum externi (de Italia, ubi sunt circiter tria millia Congregationum, testari possum) hanc etiam habent ideam, Congregationem exigere pro sodalibus aliquam selectionem eorum qui ad propriam perfectionem tendunt. Sed Congregatio debet etiam movere sodales ad alia opera in honorem Dei et salutem animarum. Qui finis etsi secundarius est tamen essentialis. Multae Congregationes non quidem excludunt opera zeli animarum, sed ea faciunt magis indirecte per sodales qui in aliis operibus adlaborant. Sed oportet ut hic finis appareat in ipso labore Congregationis ita ut Congregatio sit tum fons pietatis, tum fons optimorum operum ad gloriam Dei.

P. FIOCCHI: Ex iis quae relata sunt, definienda est quaestio utrum finis secundarius nempe finis apostolicus sit aeque substantialis ac finis primarius sanctificationis: num scilicet omnis Congregatio debeat habere opera apostolica, an hoc sit aliquid ex abundantia tantum profluens. Ex hac enim definitione ceterae conclusiones pendent et reapse est res discussa etiam inter Nostros.

P. BÙS: Quaestio facile determinatur ex origine Congregationis: eam progenuit Societas et spiritum suum ipsi inspiravit. Hinc sicut Societas habet pro fine studium perfectionis non qualiscumque sed perfectioris et non qualiscumque perfectioris, sed qua nos apti reddimur ut aliis prodesse possimus, sic etiam sodalitas talem finem habere debet. Etsi Sodalitates etiam finem aliquem specialem habere possint, tamen omnes debent habere aliquem finem communem in quo consequendo omnes conspirare debent.

PRAESES: Bonum est redire ad quaestionem, num spiritus apostolicus sit aeque substantialis Congregationi quam pietas et num hi duo fines ut aeque primarii sint habendi.

P. DE GUIBERT: Habeo difficultatem, utrum finis sit Congregationis ut ipsa *per se* opera apostolica faciat an pro ea satis sit promovere spiritum apostolicum, ut homines apti fiant ad opera illa facienda. Inclino ad sententiam, essentiale esse Congregationi ut promoveat spiritum apostolicum, opera autem non necessario debeant fieri ab ipsa qua talis.

PRAESES: P. de Guibert distinguit inter spiritum apostolicum et exercitium apostolatus. Essentiale est Congregationi promovere spiritum, sed non semper exercitium apostolatus, per Congregationem qua talem.

P. DRÜDING: Secundum regulas a R. P. Wernz datas ipsum exercitium operum caritatis et pietatis Congregationi videtur esse essentiale. Non sufficit tantum promovere spiritum apostolicum, sed sodales debent etiam in ipsa Congregatione opera zeli exercere et non solum in aliis associationibus. Debemus in Congregationibus efformare viros vere catholicos qui et ipsi sint perfecti et cum perfectione, quam sibi acquisiverunt, exerceant spiritum apostolatus in alios ut eos, suo exemplo et suis operibus, alliciant ad bonum faciendum.

PRAESES: Nemo dubitat, quin hoc valde optandum sit. Sed possunt esse impedimenta, quominus illa opera exerceantur. Si spiritus habetur, certe etiam erumpet.

P. DRÜDING: Non debemus dicere illa opera esse finem secundarium, sed sunt finis aeque primarius ac pietas. Nam pietas nobis propria non potest in hoc consistere, ut solum nos ipsos sanctificemus, sed sanctificando nos etiam alios sanctificare debemus. Non opus est, ut in singulis Congregationibus novum opus apostolatus inveniatur; sed videtur opus esse, ut sodales in apostolatu exercendo a Congregatione dirigantur, non sibi ipsis relinquantur.

PRAESES: Non admittis ergo distinctionem inter spiritum apostolicum et opera apostolatus ?

P. DRÜDING: Distinctio non debet esse talis, ut oriatur distinctio inter finem primarium et secundarium.

P. AYALA: Finis Congregationis est duplex. Imprimis perfectio propria et posita perfectione propria exercitium apostolatus. Medium specificum Congregationis est devotio erga B. V. Finis est procurare, hac devotione, perfectionem propriam et zelum exercere animarum, omnibus mediis quibus exerceri potest.

P. QUIRICO: Verbum « secundarium » quod adhibui, non debet ita intellegi ut opera zeli non sint aeque essentialia ac opus sanctificationis; illud primarium et secundarium referentur ad primatum originis et naturae. Sine dubio zelus apostolicus debet esse in Congregatione. Non video tamen solutam quaestionem de exercitio huius zeli. Estne exercitium huius zeli ita essentiale, ut dici debeat Congregationem non habere verum spiritum nisi etiam talia opera exerceat ? Aliquod exercitium operum zeli, meo iudicio, est essentiale. Sed est libertas, ut fiat modo organizato a Congregatione vel a singulis membris. Optandum est ut aliqua opera Congregatio semper possit ipsa facere. Saltem in Italia hoc videtur necessarium, in aliquibus aliis regionibus fortasse non ita est.

P. ROSTWOROWSKI: Haec quaestio est magni momenti ex duplici capite. Si unaquaeque Congregatio suum opus sociale habere debet, activitas catholica distrahitur in multa opera saepe minus fructuosa. Frequenter accidit, ut Congregationes, ceteroquin florentes, nullum opus proprium habeant. Si deberent habere, essent ergo Congregationes minus genuinae. E contra aliae Congregationes quae spiritu non abundant, putant se satisfecisse fini Congregationis quando parvum aliquod opus externum suscipiunt. Non puto debere Congregationem suum proprium opus necessario habere. Si habet, valde laudandum est. Si talia opera iam ab aliis fiunt, sufficit ut Congregatio formet membra sua, ut in iis laborent.

§ 2. *De selectionis principio in admissione sodalium.*

PRAESES: Accedimus ad 2m (Conf. *Brevis Conspectus, pag. 3 et 4*).

P. ERSIN: De facto exsistunt Congregationes quae admittunt omnes homines vel mulieres, quotquot ad certum genus pertinent. In Germania ex. gr. in dioecesibus Coloniensi et Paderbornensi admittuntur omnes virgines, non fit satis selectio. Etiam in aliis regionibus aliquae antiquae Congregationes continent totum statum muliebrem civitatis. Sed in tali multitudine finis Congregationis obtineri non potest. Difficultas oritur ex eo quod Congregationes saepe non a nobis diriguntur. Sed fortasse in aggregatione posset condicio poni ut fiat selectio inter eos qui admittuntur. Pro Congregationibus quae iam exsistunt et valde magnae sunt, aliquod remedium esset introducere sectiones et hoc modo strictiorem Congregationem instruere.

P. ROSTWOROWSKI: Hic est magna difficultas. Multi sacerdotes saeculares non censent se obligari regulis Congregationis. Immo aliquam speciem iuris putant se posse habere. Ex iis quae sunt apud Beringer existimari potest essentiam Congregationis consistere in speciali cultu B. V., qui cultus sit medium ad promovendam virtutem et nihil aliud. Hoc inducit multos sacerdotes, ut portas quam latissime aperiant et omnes fere indiscriminatim admittant. Et sic oritur duplex typus Congregationum: aliae, a Nostris directae, servant selectionem membrorum et zelum apostolicum, aliae sunt merae confraternitates omnibus apertae. Nonne in aggregatione posset exigi ut se obligarent ad paulo strictiores regulas ? Quia semper plures Congregationes diriguntur ab externis quam a Nostris damnum oritur pro omnibus Congregationibus, etiam nostris.

PRAESES: Quae regulae essent statuendae ?

P. ROSTWOROWSKI: Non possunt fieri nunc statim, sed res debet

bene considerari, et forte in hoc congressu ipso, schema aliquot elaborari posset.

P. Drüding et P. Mischler dicunt etiam in Germania non omnes indiscriminatim admitti, neque omnes retineri nisi satisfaciant statutis et regulis, etsi in Borussia ab Episcopis statutum sit Congregationem esse pro omnibus virginibus, quae sunt bonae voluntatis. Si omnes admitterentur numerus sodalium, qui nunc iam permagnus est, multo maior esse deberet. Supponitur, in admissione saltem bona fama, et voluntas, secundum normas Congregationis, vivendi; quod si deesse in decursu temporis videtur, satis multi dimittuntur.

Praeses: Omnes Patres consentiunt in iis quae dicuntur n. 2 et n. 4. « Non omnes esse admittendos indiscriminatim in sodalitatem, sed eos tantum qui fundatam spem praeseferunt vitae ferventioris in honorem B. M. V. degendae. Errorem practicum esse quaerere potius numerum sodalium quam fervorem vitae christianae »

Estne plus exigendum ?

P. Villaret: Aliqui directores praeter candidaturam habent alium coetum in quem omnes admittuntur qui aliquam spem praebent et qui secus foris manerent. Sed ex hoc largiore coetu, qui non est Congregatio, non admittuntur in candidaturam nisi qui conditionibus satisfaciunt. In coetibus iuvenum opificum et patrociniis iuvenes non admittuntur ad consecrationem, nisi iam fecerint aliquam experientiam vitae practicae in officinis.

P. Ayala: In Sodalitate Matritensi mos est, ut candidatus non recipiatur nisi sit ab uno ex sodalibus praesentatus vel ab alia persona nota Directori. Iuxta nomen candidati ponitur in apposita tabella nomen oblatoris qui candidatum bene nosse declarat, et se eius sponsorem constituit. Ita satis bene consulitur selectioni, praesertim tempore quod admissionem praecedit et est veluti noviciatus Congregationis; ut nemo tandem Sodalitati adscribatur nisi bene notus et probatus.

P. Ersin: Quod dicitur n. 3 videtur sufficere pro admittendis in candidaturam, sed non in Congregationem. Ut admittantur in ipsam Sodalitatem, debent probari et satisfacere postulationibus Congregationis.

P. Mischler: Ut magnae Congregationes ab uno Praeside possint dirigi, Sodalitas debet esse organismus, debet dividi in varias regiones, quae curae alicuius officialis committuntur, qui est quasi frater maior inter sodales, eos ad communes conventus, ad communionem generalem invitat, folium Congregationis affert, etc. Director eos format et dirigit et ab iis de statu Congregationis certior fit. Hic organismus omnino necessarius est ut Congregatio vere floreat.

P. Quirico: Est contra principium selectionis omnes convictores fieri sodales. Selectio in diversis casibus debet esse alia, alia in seminariis, alia in convictibus, alia in Congregationibus operariorum, mulierum, etc.

Praeses: Quidquid sit de selectione, non possunt damnari magnae Congregationes.

Praeses ad n. 4 interrogat, quodnam principium ordinationis fuerit in enumerandis punctis.

Relator P. Gareschè respondit non esse quaerendum ordinem sed singula esse sumenda in se.

P. Sierp: Sunt qui desiderant ut Exercitia Spiritualia propria fiant pro sodalibus cum instructionibus de officiis sodalium.

Praeses: Est optima idea.

P. Jollain: In provincia Neapolitana hoc iam fit.

P. Sierp: Nonne bonum esset dare Exercitia pro Praefectis et membris magistratus ex tota aliqua regione et iis speciales instructiones dare ? Idem fieri posset pro Directoribus.

P. Stejskal: In Bohemia est magna unio Gymnastarum qui ita vocantur quia exercitia gymnastica promovent. Sed deest illis altior idea. Si totus ille coetus posset fieri congregatio, esset illis valde utile. Selectio aliqua etiam apud eos habetur, habent etiam sua exercitia pietatis, debent inhaerere principiis catholicis. Volo quaerere num possibile sit ut totus ille coetus fiat congregatio.

§ 3. *De regulis.*

P. Ayala: Imprimis fovendae sunt Congregationes virorum. Iam in Hispania nunc incipiunt florere. Sed viris regulae quas habemus parum convenire videntur. Etenim sunt quasi adaptatio regularum P. Aquavivae, quae potius pro pueris et iuvenibus datae sunt. Igitur multi desiderant ut in regulis aliquid speciatim dicatur pro Congregationibus virorum.

P. Correa animadvertit optimas esse sodalitates in quibus pueri formantur. Eo modo sequimur hominem ab ipsa pueritia per totum vitae decursum.

P. Quirico addit sodalitates pro omnibus esse formandas cuiuslibet aetatis, status, conditionis.

P. Ersin: In regulis pro Congregationibus virorum non est ad

minuta quaeque deveniendum, sed res exprimenda modo magis generali. Cohaeret cum quaestione praecedente de fine Congregationis: an Congregatio ipsa sua opera habere debeat. In Congregatione virorum sufficere potest si imbuti spiritu apostolico munus suum exerceant.

Conclusiones.

A. R. P. GENERALIS: Velim paucis verbis rem totam comprehendere. Multum interest ut ipsi videamus quomodo procedendum sit. Conclusiones hic statutae postea typis edentur, sed iam nunc utile est videre quid statutum sit.

Omnia quae discussa fuerunt ad tria capita possunt reduci. Sunt res summi momenti; quare non est dolendum quod duae horae impensae sint.

I. De iis quae pertinent *ad essentiam* Congregationum. Hic praecipue disputatum est, utrum solum perfectio interna cum spiritu apostolico ad essentiam Congregationis pertineat an etiam exercitium ipsorum operum. Optime responsum est per Delegatum Provinciae Romanae ad essentiam utrumque pertinere. Non solum est curanda perfectio interna et spiritus apostolicus sed etiam exercitium operum. Hoc etiam historia probatur et praxis est optima legum interpres. Non invenitur ulla Congregatio vere florens quae non habuerit magnum exercitium operum. Utrum autem illa opera directe exercenda sint ab ipsa Congregatione an a singulis membris, hoc fortasse relinqui debet variis regionibus, licet desiderandum sit, ut aliqua opera caritatis etiam in communi ab ipsa Congregatione exerceantur. Hoc etiam optime fieri potest, quia sunt tot facienda quae non fiunt ab aliis. Ad essentiam igitur pertinet ut aliqua exerceantur, quia Congregatio aliqua ratione imbuta est spiritu Societatis. Sed non nimis subtiliter ad particularia descendendum est.

II. *Quoad selectionem.* — Haec res est summi momenti et non satis in omnibus regionibus observatum est Congregationis esse in omni hominum classe vere optimos et eminentes cives efformare. Hoc omnino Congregationibus proprium est. Sed, quia non observatum est, nunc variae novae uniones instituuntur ad tales homines efformandos. In praxi est difficultas. Sed quaestio iam saepe est discussa et etiam iam soluta in praxi, quae tamen non est satis nota, et hic consessus conferre potest ut magis nota fiat. Generatim ita procedendum est. Per se debemus quaerere homines selectos, sive iuvenes, sive viros, sive feminas, essetque omnino contra spiritum

Congregationis in aliquo convictu omnes in Congregationem admittere. Sed interdum est difficile non admittere maiorem numerum, ut a P. Mischler dictum est pro Germania, ubi parochi postulant ut omnes pueri et puellae admittantur. Etiam ibi est aliquod remedium. Nam Congregatio sicut Societas variis condicionibus se accommodare potest. Requiritur tamen absolute, ut omnes qui admittuntur, sint boni christiani. Tunc sicut olim factum est Romae, formandus est aliquis *ristretto*, aliquis nucleus membrorum magis eminentium, qui influxum suum exercent in alios et etiam iuvant ut ii qui non sunt apti, eliminentur. Sic satisfit principio Congregationis. Tali modo magno cum successu procedebat Basileae P. Ioye. Ex his patet ad quaestionem Delegati Viceprov. Cecoslov. utrum admitti possit totus ille coetus respondendum esse negative. Esset contra omnes regulas.

III. *De potestate P. Generalis* in Congregationem. — Congregationes aliter atque aliae associationes, ut tertii ordines, qui etiam post novum Codicem magna ex parte pendent a superioribus regularibus, non pendent a P. Generali, iis exceptis quae in nostris ecclesiis erectae sunt. R. P. Martin hoc in responso dato ad Card. Kopp aperte declaravit (1). Iuridice P. Generalis solum in aggregatione videre potest num spiritus Congregationis sit servatus. Insistere debemus in aliquibus punctis; res est etiam magis determinanda. Dein ad hoc tendere debemus ut Congregationes etiam in rebus non essentialibus, quantum fieri potest, sequantur modum uniformem. Sed quod nos iuridice non habemus (quod omnino bonum est et non dolendum, quia confert ut Congregationes sint revera opera Episcoporum et parochorum) hoc supplere possumus per consilia, exemplum nostrarum Congregationum, caritatem et auxilium aliis praestitum.

Praeses dein finem primae sessioni imponit.

SESSIO II.

PROGRAMMA: *De Directore eiusque officio – De auctoritate absoluta directoris – De formatione directorum – De Directorio practico parando.* (*Brevis Conspectus*, n. IV).

I. P. DE BECDELIÈVRE, Relator:

De dotibus directoris. — Praecipuas saltem indicavimus, ut effingeremus exemplar quasi perfectum directoris, sed distinximus *dotes essentiales* quae in quolibet directore inesse debent.

---

(1) 13 april 1904. Vide apud Mullan. *La Congregazione Mariana studiata nei documenti*, 1911, p. 242 nn 1901-1904, - et p. 97 n. 206.

De munere directoris. — Hoc munus magni esse momenti, nemo negabit cum ex eo magna ex parte pendeat vita ipsa Congregationis. En quae ad essentiam huius muneris pertinere videntur.

Directoris est dirigere, sed non ipsius est per se ipsum omnia facere. Congregationem regat per sodales, praesertim per officiales. Ideo iis relinquat multum libertatis et initiativae. Certe apud directorem est summa auctoritas in administratione etiam materiali, sed ei commendatur ut hac summa auctoritate rarius et quasi per exceptionem, omnino caute, utatur. De hac auctoritate disputatio orta est. Etenim aliqui moderatores putant eam esse limitandam circa administrationem rerum temporalium, saltem in Congregationibus adultorum, non modo quoad usum, sed etiam quoad ius. Limitativas commendationes laudant, sed eas putant non sufficere, si ius ipsum non limitetur. Res difficilis videtur, cum essentiam systematis hierarchici attingat, secundum quod sodalitates nostrae reguntur. In hoc enim ab unionibus modernis differunt, quae systema democraticum admittunt. Altera difficultas est quoad sodalitates quae apud nos eriguntur: etenim bona materialia earum, secundum praescriptiones iuris, non sunt earum bona, sed ad domum aut collegium Societatis pertinent.

Ut director, *per sodales et officiales sodalitatem suam regere possit*, debet eos omnino caute et sedulo eligere atque formare, non secundum suum proprium sensum, sed secundum statuta et legitimas traditiones. Magni momenti sunt ad hanc formationem adhortationes periodicae directoris, conventus frequentes et regulares, explicatio et observatio regularum, electio sedula officialium, consultationes frequentes magistratus, organizatio sectionum et operum. Director ita omnia disponere debet, ut officiales et ipsi sodales, etiam ipso recedente, coetum dirigere possint, saltem per aliquod tempus, donec aptus director inveniatur.

De eodem munere directoris, aliqua alia quaeri possunt: 1° *de directione* privata sodalium, nempe utrum pertineat ad directorem an ad confessarium, immo utrum director possit apud sodales munus confessarii exercere. Respondetur affirmative, modo prudenter se gerat, nec sit unicus confessarius; 2° *de directione aliquarum sodalitatum specialium*, v. g. in collegiis, quae sunt tam multae in Societate. Requirunt ex parte directoris curam omnino specialem; etenim ita formandi sunt alumni ut, studiis absolutis, ad aliam sodalitatem dirigantur et sodales fideles esse pergant. Insuper, in collegiorum coetibus, saepe sodales vocationem aliquam sacerdotalem aut religiosam discernere incipiunt.

De defectibus directoris. — Aliqui tantum sunt indicandi, v. g. alienis ministeriis saepius aut libentius distrahi, negligentia, ignorantia, nimia facilitas aut severitas.

De formatione directorum nostrorum. — Ex omnibus fere relationibus cognovimus directores saepius apud nos non satis caute esse electos, et praesertim sine ulla formatione, aut theoretica, aut practica, ad hoc munus implendum esse destinatos. Quapropter indicavimus varios modos quibus hi nostri directores formari et instrui possint, antequam munus ineant, et etiam postquam illud exercere coeperint. Circa haec puncta vigilantia Superiorum est omnino necessaria.

De formatione directorum externorum. — Conclusio fere eadem est: formandi sunt et adiuvandi a nobis, non quidem auctoritative cum nullo modo a nostris Superioribus pendeant, sed quasi influxu bonorum officiorum et fraternae caritatis. Ad hoc pertinent erectiones Congregationum sacerdotum et seminaristarum, cursus practici, conferentiae, opuscula, colloquia NN., collaboratio aliqua cordialis, influxus alicuius secretarii centralis, ephemeridis, etc. Immo apud Episcopos agere possumus ut de ea formatione sedulo curent, etiam praeceptis.

Ad hanc formationem multum proderit illud *directorium practicum* de quo agimus (p. 16, n. 6). Dolendum est quod iam illud prae manibus non habeamus, et nobis omnibus omnino cordi est ut quamprimum conficiatur.

DISCUSSIO: § I. *De dotibus et munere Directoris.*

PRAESES: Quid adnotandum videtur ad *punctum primum* capitis quarti, *Brevis Conspectus* est ne aliquid addendum aut corrigendum?

P. van RUTH: Omnibus directoribus necessaria est summa caritas erga sodales. Hoc quidem ibi iam exprimitur, sed in hoc insistere oportet, quia praeses est magister, rex, dominus totius Congregationis: caritas forte semper habetur, sed non semper applicatur; oportet autem praesidem esse virum generosum, qui se totum suae sodalitati devovet, vir qui fiduciam sodalium habet, pater familias, quem omnes in variis necessitatibus consulunt. Haec caritas medium summi momenti mihi esse videtur, ut optima sit Congregatio.

P. REVELLO: Multum interest ut moderator illud teneat veluti aequilibrium, quo sodalibus nec nimis multa nec pauciora quam par est exercitia spiritualia iniungat, sed omnia secundum loci et temporis

condiciones apte instituat. Nec introducat quaecumque bona videntur, sed consilio adhibito Superioris; cui ius erit, amoto etiam directore, ea sustinere quae facta sunt, et efficere ut successor, in directione congregationis, non destruat nec in desuetudinem relinquat opus antecessoris. Artem praeterea sciat, qua efficiat ut sodales Congregationem ament et ipsius Directoris verba et consilia magni faciant, auctoritateque eiusdem se gubernari sciant et cupiant.

PRAESES: Nonne hoc sufficienter exprimitur voce « prudens » ?

P. REVELLO: Verum est, sed dixi, quia non semper servatur.

PRAESES: Quid censent Patres Delegati de iis, quae secundo puncto proponuntur ?

P. van RUTH: In pag. 14, dicitur « Quare optimi eligantur ad magistratum », haec verba ita interpretanda sunt, ut eligantur non solum maxime pii, sed etiam maxime idonei ad munus suum gerendum.

P. BÚS: Inter munera directoris non video quidquam dici de cura quam habere debet ut sodales in vocatione perseverent. Tristis experientia docet sodales saepe non perseverare. Ut hic defectus vitetur, puto sodalibus semper dandas esse litteras patentes et iniungi debere ut, cum venerint in aliam civitatem, Congregationi, si ibi est, se offerant, si non est, nexum cum sua antiqua retineant. Si plures sunt in eadem civitate, conveniant et loquantur de rebus spiritualibus et aliquoties praesidis exhortationem audiant.

§ 2. *De auctoritate plena directoris.*

Quaeritur utrum sufficiat usum auctoritatis restringere, auctoritate ipsa de facto non restricta.

P. ROSTWOROWSKI: Secundum statuta director plenum ius et auctoritatem habet in sodales. Oportet quidem hoc ius mitigari prudentia et iudicio directoris, et hoc pro sodalitatibus adolescentium sufficit. Adultis autem difficulter talis plenitudo iuris placebit, utpote ad organizationes modernas magis democraticas assuefactis. Antequam recipi in Congregationem postulent, statuta examinant et nimia potestate directoris offenduntur. Non in omnibus omnino rebus dirigi, dependentes esse volunt, sed saltem in aliquibus libertate frui. Nihilominus non principia mutanda propono, sed tantum addendas clausulas pro certis hominum classibus, in specie quod administrationem rerum temporalium spectat. Mirum enim talibus videri potest, quod director praescribat, quam taxam solvere, quomodo pecuniis suis uti debeant. Quare aliquibus in locis viget praxis, quod magistratus in fine anni Congregationem convocet et ab ea « absolutorium » petat

i. e. consensum cum modo procedendi in rebus memoratis. Ita agere praeiudicat quidem iuri directoris, sed fortasse pro sodalitatibus adultorum tolerari potest et fortasse posset in hac re aliquod moderamen afferri.

PRAESES: Quid de hoc sentit P. Relator ?

P. DE BECDELIÈVRE: Fateor hanc difficultatem magnam esse. Eam sedulo examinavimus, etiam cum A. R. P. Generali. Oritur ex discrimine inter systema hierarchicum nostrarum Congregationum et systema democraticum plerarumque societatum hodiernarum. Iuxta systema hierarchicum difficile videtur restringere auctoritatem moderatoris, etiam in iis quae pertinent ad administrationem rerum materialium. Ceteroquin difficultas ex eo augetur quod bona temporalia sodalitatum in domibus nostris erectarum, non sunt proprietas sodalitatum aut sodalium, sed ipsius domus Societatis. Haec est praescriptio iuris quae adhuc viget: forsan examinanda erit et aliquo modo temperanda, sed nunc manet immutata.

Practice difficultas aliquo modo componitur, distinguendo inter auctoritatem moderatoris quae est illimitata, et usum huius auctoritatis: director ita prudenter et moderate ea illimitata auctoritate uti debet, ut nunquam sodalibus nimia esse videatur. Ad rem omnino solvendam, sufficitne restringi usum iuris, iure ipso et auctoritate non restrictis ? Nonnulli ex PP. Delegatis qui in suis relationibus dubium illud moverunt, aliquid de auctoritate ipsa limitanda innuerunt. Non ad me, sed ad superiores pertinet huic indicationi respondere. Igitur, absente A. R. P. N. (1), meliorem solutionem proponere non possum.

P. QUIRICO: A. R. P. Generalis animadvertit iam in colloquiis habitis cum nonnullis directoribus Congregationum, directorem a principio non tantam habuisse potestatem et influxum magistratus fuisse maiorem. Sed P. Aquaviva omnem potestatem transtulit ad directorem. Etsi rationes optimae tunc temporis ad hoc faciendum eum moverunt, hodie, ob spiritum democraticum ubique vigentem, nonnihil tali institutioni obstat. Non solum adulti, sed etiam adolescentes regiminis partem habere desiderant.

Quae hucusque sodalibus hac in re concedebantur, solum in praecedenti iudicio directoris nitebantur. Sed eo modo principalis difficultas non solvitur. Aut enim director de iure suo tacet, aut id manifestat.

---

(1) Initio huius sessionis, A. R. P. Generalis non aderat. Advenit tantum post unam circiter horam, et mentem suam circa hanc quaestionem distincte explicuit, sub finem sessionis.

Si prius, ipsa essentia organismi Congregationis absconditur; si posterius, debemus esse parati ad consequentias spiritus democratici subeundas. Adsuntne rationes tam graves ut debeat postulari aliqua immutatio circa regulas de potestate directoris? Res est omnino bene examinanda, ne ex mutationibus detrimentum capiant Congregationes.

P. Rostworowski: Num aptum sit mutationem iuris postulare, nescio. Sed forte utile est consilium in prima sessione iam datum, regulas Congregationum magis generales addere, nimis specialia omittendo, ita ut non solum iuventuti adaptentur, sicut hodie res se habet, cum praescripta plurima ex regulis sodalitatum adolescentium deprompta sint. Annotari proinde posset, ius directoris pro variis Congregationum speciebus varium esse. Manifestum est enim varie pro variis hominum classibus Congregationem instituendam esse.

P. Drüding: Etiam apud nos multum de hac quaestione disputatum est, et multis displicet directorem ad libitum omnia praescribere et praescripta rescindere posse. Quare aliquis proposuit pro rebus non mere religionis sed ad curam animarum et ad educationem, in Congregatione vel per eam praestanda, pertinentibus aut de principiis religionis catholicae agentibus, ea quae a directoribus (laicis) constituuntur, praevia indigere praesidis sacerdotis approbatione. In rebus mere materialibus autem laicis adultis posse concedi plenam libertatem. Revera enim activitas et magna aggrediendi studium, quod a sodalibus iure exquiritur, non crescit, sed minuitur in adultis, si unico directoris verbo inhiberi potest. E contra pro iuvenibus potestas tam plena magis necessaria est.

P. Gareschè: Medium practicum solutionis habetur in recta educatione et efformatione directorum. Quare etiam pro hac re directorio opus est. Pluris quam regula, directorum recta in agendo tendentia interest. Saepius habent directores modum agendi fere tyramnicum, qui homines aptos et initiativa praeditos a Congregatione arcet. Etiam mutatis regulis hic modus agendi permanere potest. Necesse est ergo in sapienti principio a P. Acquaviva datum magis magisque insistere, qui, cum tantam auctoritatem pro directore constituit simul enixe monuit ne directores potestate uterentur, sed ita agerent quasi non haberent.

P. Ramirez: Ius nullo modo mutandum est. Congregationes quaedam Societatis imago sunt et ad eam pertinent in qua plena potestas penes Superiores est. Quare ratio gubernandi sodalitates a nostra discrepare non debet. Praeterea homines plenae illi potestati resistentes satis hoc ipso ostendunt non esse bonos catholicos neque

aptos nostris Congregationibus, iuxta selectionem faciendam in candidatis recipiendis. In mea regione vidi facilius esse dirigere viros quam iuvenes. Ne igitur mutetur ius, sed moderatores prudenter agant.

Praeses: Puto haec sufficere. Videtur quaestio pertinere ad eas de quibus hodie locutus est P. Generalis, quae postea decidendae sunt. An aliud notandum est?

Praeses: Cum punctum secundum difficultatem parere non videatur, transeamus ad punctum tertium discutiendum, quod est de defectibus directoris.

P. Quirico: Aliqui moderatores eo tendunt ut directionem suam omnino personalem et peculiarem ac propriam reddant; quo creantur difficultates tum Superioribus, qui aegre tantum munus alteri committere possunt, tum etiam Sodalitatibus, quae vel intepescunt, vel etiam moriuntur, si iam non sint addictae illi determinatae personae. Hic defectus tolli debet. Non enim in Societate agimus quasi propriam personam exhibentes; Societas est quae apparere debet. Oportet a Superioribus, sine ulla difficultate, moderatorem loco moveri posse, et sodalitatem non labefactari eo quod novus nominetur director, cui se facile sodalitas gubernandam tradere debet.

§ 3. *De formatione directorum, praesertim externorum.*

Praeses: Agendum iam de formatione directorum nostrorum. Quia nemo verbum petit, transeamus ad formationem directorum externorum.

P. Bús: Difficultas non raro oritur sacerdotes saeculares in Congregationem adunandi. Putant enim aliqui, statum sacerdotalem altiorem esse quam ut eius membra congreganistae fieri possint. Praeterea facile oriuntur dissensiones inter sacerdotes qui sunt et eos qui non sunt sodales. Has difficultates ipse expertus sum.

P. Drüding: Instruendi sacerdotes saeculares, qui sodalitatibus praesunt, optima occasio se praebet in Exercitiis sacerdotum. Magister Exercitiorum multa bona consilia dare, nostrum procedendi modum insinuare potest. Atque sperant etiam sacerdotes se in sacro secessu a nobis, in arte peritis, nonnihil proficuum accipere, et optime dispositi sunt, ut voluntarie et libenter accipiant. Ad hunc finem adhiberi potest vel una alterave conferentia in decursu exercitiorum, vel postea habenda, vel saltem monita quaedam in ipsis Exercitiorum discursibus tradendo.

P. Gareschè: Cum conferentiae nostrae debeant esse practicae, res quaedam summi momenti nos effugere non debet, quando de

multis dotibus illis egregiis agimus, quae in directore requiruntur. Vir enim iis praeditus etiam ad alia munera aptus est; quare aut iis destinatur, aut saltem ea simul suscipere debet. Oportet ergo alte mentibus mandare quanti momenti sit munus directoris: ad quod nonnisi viri optimi destinandi et efformandi sunt, etsi interdum magnis opus sit sacrificiis, etsi alia opera postponi debeant.

Similiter sacerdotes saeculares monendi sunt ut ad munus suum bene se praeparent. Vanum et futile est, de bona sodalitate formanda verba facere, quamdiu non praesto sunt boni directores. Contra si directores sunt boni, florebit sodalitas.

P. Quirico: Exemplo ab Associatione pro adolescentibus feminis in Italia adducto, monstrat quomodo in cursibus paucorum dierum Directores apti efformari possint.

§ 4. *Nonnulla suggeruntur de directorio practico parando.*

Praeses: Agendum nunc de Directorio parando.

P. Villaret: Fons huius directorii esse debet Institutum nostrum, quia sodalitas eundem habet finem quem Societas. Multae revera res inveniuntur in Instituto, quae omnino aptae sunt sodalitati, e. g. quoad dotes Directoris, regulae Magistri novitiorum, quoad eius munus, praefecti spiritus: quoad modum agendi multa continent « Industriae P. Aquaviva », Monitum P. Ignatii, Exercitiis praefixum, etc. Ita quaecumque ad parandum directorium necessaria sunt, inveniri in eo possunt, nonnullis modificatis.

P. Ayala: Oportet nos habere directorium breve pro clero saeculari. Unius enim anni decursu plus 500 litteras accepimus a sacerdotibus, quibus instrui in dirigendis et aggregandis sodalitatibus petunt. Ut satis eis faceremus, regularum Compendium 12 punctis constans misimus, propositisque a sacerdotibus opportunis modificationibus et additionibus, compendium tandem a nobis iterum revisum, Episcopis approbandum traditum est. Sacerdotes volunt, ut par est, res claras et breves, ita ut uno fere conspectu res intelligi possit.

P. Jollain: Directores in collegiis alumnorum propria laborant difficultate. In Collegio multi sunt Superiores: Rector, Minister, Praefectus, etc. Ita conflictus iurium oritur. Quare directores proprias petunt regulas. Sed novis praescriptis hoc tantum obtinetur ut res complicetur. Quare praeferendum videtur indirecte tantum procedere commendando, ut in scholis internis magni aestimetur sodalitas et tamquam « pupilla oculorum » habeatur.

P. de Guibert: Desideratur pro directorio illo, praeter partem legislativam, pars in qua media apta, quae experientia et usu probata sunt colligantur et quae directoribus proponantur, non iniungantur. Ita habetur tum pars praecipiens, tum pars media suggerens.

P. Fiocchi: Directorium debet esse breve, sed tamen completum tum pro institutione ascetica tum pro practica. In alio opuscolo quod deberet maxime evulgari praeter Directorium exponatur historia et magnum momentum Congregationis. Saltem in Italia nihil huiusmodi habetur, cum aliae consociationes v. g. Associatio iuventutis femineae optimum manuale habeat, quod uti verus missionarius huius consociationis egit.

Praeses: Omnes videntur consentire in hoc ut Directorium sit breve. Sed nonne utile esset habere codicem aliquem officialem ex quo desumi possent, quae pro variis quaestionibus decidendis necessariae sunt.

P. Revello: Nonne bonum esset duo Directoria habere, unum pro Nostris, alterum pro externis, quia sunt in alia conditione? Pro saecularibus posset esse brevius, in quo non sit nisi necessarium et propria lingua cuiusque nationis conscriptum.

P. Villaret: P. Petrus Brucker conscripsit pagellas quae voto expresso satisfacere videntur. Et sacerdos saecularis confecit de eadem re opusculum optimum 24 pp. In eo tantum fallitur, quod Congregationes hierarchice a Praeposito Generali pendere dicit, aut saltem ita loquitur ut possit sic intelligi.

P. Correa: Directorium in parte practica debet tripartito dividi: pro pueris, pro iuvenibus, pro viris, eo quod diverso modo regi debent Congregationes trium illarum aetatum. Quod ad mutationem in regulis inducendam, de qua modo sermo erat, existimo non novas regulas esse statuendas, sed regulas P. Wernz, quod ad viros spectant, iterum recognoscendas, praesertim fortasse quoad magnam auctoritatem quam directoribus attribuunt. Haec recognitio eo magis est necessaria quod regulae antiquae et etiam illae P. Wernz, non spectabant viros aliqua auctoritate praeditos. In Congregationibus virorum ex summa hac Directoris auctoritate facile oriuntur difficultates, quae aliquo modo solvi debent.

P. Ramirez: Attamen etiam temporibus P. Aquavivae multae iam fuerunt Congregationes virorum praesertim in America, ut apud P. Astrain legere est. Ergo regulae ab eo datae etiam viros respexerunt.

P. Correa: Equidem nequaquam nego sub finem gubernii, 34

annorum, Patris Aquavivae iam fuisse Congregationes virorum; sed notandum est eo tempore, quo regulae datae sunt a P. Aquaviva (anno 1587), Congregationem non extitisse nisi a tribus annis, et hoc ipso anno facultatem erigendi Congregationes et primariae aggregandi extensam esse ad alias non scholarium, etiam in Domibus erigendas. Regulae vero P. Wernz, editae anno 1910, non sunt fere aliud quam regulae approbatae pro Hispania et America latina a P. Martin anno 1905, quae quidem sunt consuetudines et regulae particulares Congregationis Barcinonensis eo tempore pro iuvenibus tantum erectae.

P. Nagore: Vellem darentur aliqua media qua recte dirigantur congregationes parvorum pagorum.

Indicetur etiam quid in magnis urbibus faciendum sit, ne isti congregati cum ad eas confluunt amittant fidem aut saltem honestos mores quibus imbuti sunt.

P. Steiskal: Directorium continere debet caput aliquod, quo sacerdotibus saecularibus exponatur non extraordinarias qualitates requiri in Directore, sed satis esse eum voluntate bona et zelo animarum praeditum esse. Praeterea eis animus addatur, ne difficultatibus absterreantur. Lex non habet vim animum addendi, potius terret.

P. Gareschè: Proposuimus in « Conspectu brevi » ut fiat directorium et in usum deducatur. Postea experientia probari potest, et mutari, ita ut occasione futuri Congressus approbetur. Statim perfectum directorium fieri nequit. Rogare ausim ut Patres qui praeter iam dicta pro Directorio conficiendo consilia suggerere possunt, ea scripta relinquant vel postea Romam mittant.

P. Santa Romana: Ad exemplum industriarum P. Aquavivae adiungatur caput de morbis Congregationis: quomodo cognoscantur et curentur. Velim indicare praxim. Sodalibus in fine cuiusvis anni schedae distribuantur, in quibus notent defectus in Congregatione, eorum causas, quid exoptent ut in proximum annum fiat; quae schedae etiam Superioribus tradi poterunt, ut Congregationum Praesides melius dirigere possint.

§ 5. *A. R. P. Generalis conclusiones et principia practica explicat.*

Velim rem breviter complecti, et aliqua addere. Incipiam ab ultimo puncto, a directorio. Evidens est necessitas talis directorii quam omnes agnoscunt, et quae iam a multis annis sentitur. Hoc directorium debet esse fundamentum pro aliis specialibus quae dein fieri possunt. Repeto id quod dixit P. Gareschè, ut Patres etiam post

discessum illud promovere velint, missis observationibus suis, quia tales libri solum cooperatione multorum bene fieri possunt.

Pro Congregationibus in collegiis non videntur faciendae novae regulae, sed difficultates occurrentes quae antea non ita sentiebantur, bono sensu communi solvendae sunt. Superiores debent intelligere Congregationes pro collegiis esse rem maximi momenti. Quaestio de auctoritate directoris in Congregationibus virorum non est nova. Etiam tempore P. Aquavivae agitata fuit. Initio quidem non erat tanta. Puto tamen, nisi aliae rationes gravissimae afferantur, standum esse huic absolutae auctoritati. Nam etiam homines moderni non videntur esse ita contrarii auctoritati cum videant, sine ea, omnia ruere. Aliud est quod iam tantopere inculcavit P. Aquaviva et quod non semper observatur, directores debere in usu huius auctoritatis prudentissimos esse. Bonus moderator debet multas vices occultus esse et curare ut congreganistae res faciant per se ipsos. Facient aliquos errores, sed hoc nihil nocet. Directoris est eos corrigere et sic sodales dirigere. Non sunt mutanda principia, sed valde prudenter utendum est auctoritate.

Quaestio de bonis temporalibus est difficilior. Etiam P. Wernz putabat hanc quaestionem esse diligenter examinandam, et aliquam adaptationem ad tempora fieri debere.

De formandis directoribus optime dictum est ut fiant conventus moderatorum in quibus de munere suo instruantur. Saepe non recte de Congregatione indicant. Iuvat legere quae dicit de scopo Congregationis P. Doyotte. Ea mane prae manibus non habebam.

« Il n'est point question de venir dans la Congrégation pour y chercher un refuge à une vertu invalide, ou pour y trouver le simple et strict accomplissement des devoirs de la conscience; elle vise plus haut, et son ambition, comme l'objet de tous ses efforts, est la *perfection* même de la vie chrétienne, autant qu'elle peut la réaliser dans chacun, selon son état et selon son rang... (créer), partout, à tous les âges, dans tous les rangs, et dans tous les emplois, des chrétiens, une élite d'*hommes parfaits*, pour arriver à la réforme des états, et, par-là même, à la réforme du monde; tel est l'idéal de la Congrégation, et l'horizon immense et splendide qui s'ouvre devant elle » (1).

(1) Haec verba P. Doyotte relata sunt a R. P. Rutten in dissertatione quam Romam misit: « De la fin de Congregations et de l'esprit intérieur qui doit les animer » (p. 7...). Cf. opusculum P. Doyotte S. J. La Congrégation de la Très Sainte Vierge. *Souvenir du Troisième centenaire* (1584-1884). Paris, Pion, 1885, p. 25, 26.

Si haec principia sacerdotibus bene proponerentur, viderent quantam utilitatem ex Congregationibus pro cura animarum habere possent.

II P. MISCHLER relator, exponit tertium punctum programmatis, quod est caput secundum « conspectus brevis »: *de operibus zeli apostolici.*

§ 1. *De necessitate horum operum.*

Necessitas haec probatur: 1. *Ex natura et fine* congregationis. Haec enim non est mera confraternitas pietatis, sed uti apparet ex documentis pontificiis et ex regulis, sodalitium religiosum ad perficiendam totam vitam christianam. Quae vita christiana certe non potest esse perfecta sine operibus exterioribus, quae eam et manifestant et perficiunt.

2. Congregationem debere amplecti talia opera constat tam ex regulis veteribus quam ex versione a P. Wernz edita, ex regulis 1, 12, 13, quae monent, sodales debent non tantum tendere ad perfectionem personalem, sed etiam ad perfectionem proximorum et defensionem fidei.

3. Idem patet ex gloriosa historia Congregationum.

4. Ex modo agendi meliorum Congregationum nunc existentium. Quo enim ferventior est Congregatio in vita interiore, eo magis floret zelus apostolicus et vice versa.

5. Evidens est exercitia zeli apostolici optimum esse medium ad formationem characteris christiani, ad colendam virtutem.

6. Tum societas civilis tum ipsa Ecclesia summopere egent talibus operibus. Imo homines ipsi occasiones ea exercendi quaerunt. Nam haec causa esse videtur, cur ipsi, praesertim iuniores, ad alias uniones convolant quae iis talem occasionem praebent.

§ 2. *De natura operum.*

A). *Opera pietatem respicientia :*

1. Catechesis impertienda, praeparatio praesertim ad primam communionem ;

2. Opera eucharistica v. g. communio frequens, auditio missae, visitatio S. S., spiritus liturgicus.

3° Exercitia Spiritualia promovenda tum pro sodalibus tum pro aliis ;

4. Opera ad conversionem peccatorum obtinendam, ad scandala omnis generis removenda, ad discordias in familiis exstinguendas ;

5. Opera pro missionibus;

6. Propagatio librorum, foliorum, ephemeridum etc. catholicorum ;

7. Manifestationes piae tum parochiales tum interparochiales ;

8. Propagatio Apostolatus Orationis et devotionis erga SS. Cor Iesu praesertim per consecrationem familiarum ;

9. Cura ecclesiarum parochialium : parare, reficere, lavare sacra linteamina.

B) *Opera charitativa praeventiva et reconstitutiva :*

1. Opera quae *subveniunt* necessitati existenti : pauperes invisere, carcere detentos, aegrotantes. Cura mulierum quae tempore partus non possunt praesse rei domesticae ;

2. Alia opera quae *praeveniunt* egestatem hominum : v. g. Cura puerorum atque puellarum neglectarum, puellarum itinerantium, orphanotrophia. Provisio debitae recreationis, rusticationis. Scholae professionales artium, scholae vespertinae. Formatio puellarum pro statu vitae domesticae. Spiritus caritatis et fervoris si floreat in sodalitate, sponte ostendet quae sint facienda, et sese in mutuo auxilio etiam materiali sodalium manifestabit.

3. *Opera culturae:* Circuli studiorum socialium, academiae, distributio librorum et opusculorum de re sociali, institutio operariorum et industrialium in principiis catholicis socialibus. Conferentias de virtutibus religiosis, de philosophia, de historia praesertim ecclesiastica, de arte, de litteratura.

4. *Opera syndicalia, oeconomica et politica :* Congregatio non potest quidem directe ipsa amplecti ista opera, sed debet sodales ita formare, ut talia opera spiritu christiano imbuta condant, promoveant, animent vel reforment.

§ 3. *Principia practica.*

1. Non omnia haec opera pia omnibus conveniunt Congregationibus, sed secundum diversas Congregationum species, diversa sunt seligenda. Alia magis congruunt Congregationibus virorum, adolescentium etc. alia potius a virginibus, ancillis, etc. sunt promovenda; alia necessitatibus urbium, alia ruri subveniunt. Quae magis sunt necessaria, primo seligenda.

2. Etiamsi nihil fiat sine directore, omnia in quantum fieri potest fiant per sodales. Quo magis opus committitur eorum curae et initiativae, eo magis fervor eorum crescet.

3. Ubi aliae societates similia faciunt, prudens director evitet

nocivas aemulationes. Interdum melius est cooperari quam per se solum facere.

4. Retinendum est opera zeli apostolici praeprimis debere exerceri inter sodales praesertim iuniores. Hi iis operibus maxime indigent et talibus exercendis veri apostoli fiunt, licet veste laicali induti. Ideo etiam praecipua puncta discussionis erunt sectiones sportivae, saltationes, theatra, cinematographa, etc.

Brevis discussio de necessitate horum operum.

PRAESES: Ex iis quae dicta sunt hodie mane, patet quid sentiendum sit de § 1.

P. RAMIREZ: Velim ut determinetur qualis sit necessitas habendi haec opera.

PRAESES: Fortasse melius est remittere quaestionem ad c. 3.

P. RAMIREZ: Hodie mane dictum est agendum esse de hac re in hoc puncto. Sed consentio ut differatur.

A. R. P. N.: Puto quoad principium iam responsum esse iis quae hodie mane dixi: ad essentiam Congregationis pertinere ut non solum ad perfectionem propriam tendat et internum spiritum apostolicum foveat, sed ut iste spiritus etiam in externis operibus appareat. Attamen non esse omnino necessarium ut ista opera a Congregatione ut tali exerceantur, sed sufficere membra Congregationis zelum apostolicum alio modo exercere, etsi desiderandum sit ut Congregatio aliqua in communi faciat, quia hoc multum iuvat ad spiritum apostolicum. Sic sufficienter responsum est ad difficultatem P. Ramirez.

P. RAMIREZ: Petivi ut declararetur *quae et quanta* sit necessitas operum: an essentialia sint, et quidem ita ut non solum *socii* ea exerceant, sed *Congregationes* ipsae *qua tales* non modo tendant ad illa opera exercenda, sed de facto aliqua opera zeli exerceant, et quaesivi utrum Congregationes, quae, *qua tales*, ea opera non habeant, sint iudicandae non plene evolutae et perfectae. Hoc ultimum videtur dicendum, ex ratione quadam simili, ac diceremus nostram Societatem Iesu vel aliquam eius Provinciam non esse contentam ut tantummodo *Socii* eius opera zeli faciant, sed requiri ut ista Provincia, *qua Provincia*, instituat ea opera zeli.

A. R. P. N.: Non debemus esse nimis subtiles. Omnis comparatio claudicat. Nihilominus hoc dici potest. Sicut opera Societatis exercenda sunt secundum diversas circumstantias locorum et temporum, sic etiam opera Congregationis. Fuerunt tempora et loca in quibus Societas ut talis fere nihil poterat facere, et eius membra plurima fecerunt sicut in Iaponia. Sic etiam in Congregatione accidere potest. Desiderandum est, ut aliqua opera sint communia. Sed non debemus hoc nimis urgere. Interdum accidere potest ut maiorem fructum afferamus, si non omnia faciamus per nos, sed simus potius cooperatores aliorum.

PRAESES dein finem secundae sessioni imponit.

SESSIO III.

PROGRAMMA: 1. *De operibus pietatem directe respicientibus* – 2. *De operibus charitativis* – 3. *De operibus culturae.*

§ 1. *De operibus pietatem directe respicientibus.*

P. GARAGNANI: 1. *Spiritus liturgicus et eucharisticus* promoveatur in Congregationibus et per Congregationes. Ubique in Ecclesia nunc sentitur studium liturgiae sacrae promovendi. In dies novae institutiones et associationes oriuntur; inter eas aliquae, quae multa a nostris Congregationibus mutuantur et peculiari studio liturgiam foventes pueros et adolescentes ad se alliciunt. In quibusdam Iuventutis Catholicae Italiae foederationibus sociis datum est consilium ut huiusmodi associationibus se adiungerent.

Quodsi Congregationes per sectiones, spiritum eucharisticum adorationibus etiam nocturnis instituendis aliisve modis excolunt, pueri et viri plurimi ad eas allicientur. Cum initium Congressus Eucharistici Internationalis instet, propono ut, si ita videatur, noster Conventus adhaesionem ad hunc Congressum in scriptis mittat, quo documento mentio fiat, quantopere in Congregationibus Marianis ab ipsis earum exordiis spiritus Eucharisticus semper cultus sit.

2. Praeter spiritum eucharisticum et liturgicum, *opera quoque pro Missionibus institutis* Congregationibus cum virorum tum mulierum multum commendanda sunt.

3. Cura vero specialis a Congregationibus habenda est operum parochialium. Non raro parochi conqueruntur quod Congregationes vitae parochiali officiant et congreganistae parochum non quaerant nisi quando de matrimonio ineundo cogitent et viaticum accipere exoptent. Ut his similibusve querelis remedium afferatur, sodalibus commendandum est ut operibus parochialibus singulari studio operam navent ita ut anima quasi operum parochialium evadant, sintque parochis maximo adiumento.

Nulla in hac re difficultas est, si agitur de Congregationibus parochialibus. Sed etiam aliarum Congregationum Directoribus non erit

nimis arduum prudenter res cum parocho ita componere, ut auxilium sodalium libenter accipiat et, experientia edoctus, zelum eorum atque promptitudinem obediendi magni faciat.

PRAESES: Quae R. P. dixit praesertim de spiritu liturgico fovendo, valde probanda videntur, nam hac ratione illud quod nobis obiicitur infensos nos esse liturgiae studio, re ipsa refutatur.

P. REVELLO: Optandum est ut in Directorio quod pro Directoribus externis componetur, clare et modo omnino practico significetur quid facere possint, relate ad fovendum spiritum liturgicum. Spiritus eucharisticus in Congregationibus promoveri potest, v. g., per coetus eucharisticos et « Cruciatam Eucharisticam », quam Apostolatus Orationis nobis praebet, inducendam.

P. JOLLAIN: Res ad relationes inter Congregationem et alias Societates spectat, sed cum nunc de spiritu eucharistico sermo est, fortasse etiam hic tractari potest. Fundata est in Anglia Societas quaedam Eucharistica (Equites SS. Sacramenti) quae etiam extra Angliam multum propagatur. In Anglia quidem in Nostrorum manibus est, sed foris et praesertim in Italia saeculares eam curant. Non pauci pueri et iuvenes ea a Congregatione retrahuntur. Quomodo ergo, hoc velim quaerere, debemus nos erga eam gerere?

P. NAGORE: Summi momenti videtur esse ut sodales se dent *catechismo* docendo. Spiritus eucharisticus nocturna adoratione instituenda excoli potest. Regulis quidem Congregationis menstrua tantum Communio praescribitur, sed non erit arduum sodales adducere ut omni dominica, atque etiam quotidie, in quantum fieri potest, in omni missa, quae in Congregatione dicitur, ad sacram mensam accedant. Spiritus liturgicus pulchre, ut ab ipso initio Congregationis semper fiebat, promoveri potest cantu Officii Parvi B. M. V. Retinendum tamen est Congregationes non tam ad cantandum, quam ad agendum esse fundatas.

P. DE GUIBERT: Exemplo a quadam associatione Tolosana ducto explicat quomodo Communiones generales eiusdem vitae parochiali non obsunt, sed potius eam ad magnum parochorum gaudium *augent*. Quovis mense enim magis sollemnem conventum in variis urbis paroeciis instituit, in quo omnes socii s. Eucharistiam palam sumunt quo virili et publico exemplo etiam alios ad s. Communionem trahunt.

P. FIOCCHI: Spiritus liturgicus apte per sectionem S. Ioannis Berchmans promoveri potest; sed optandum est ut regulae associationum S. Ioannis Berchmans ad maiorem unitatem redigantur.

Codice ipso parochi monentur, ut tales associationes inter pueros

chorales instituant. Nos vero in hac re plus agere debemus. Iam a Pio IX approbatum est opusculum de S. Ioannis Berchmans associatione pro Nostris et externis compositum; privilegia et indulgentiae ibi exhibentur. Fortasse hic libellus recudi possit regulis ad maiorem uniformitatem redactis: valde utilis esset ad spiritum liturgicum promovendum.

P. VAN RUTH: In Hollandia habentur qui vocantur amici SS. Cordis. Sub ductu Congregationis sunt, sed etiam non congreganistae, ex eadem tamen parochia, admitti possunt, semel in hebdomada conveniunt.

P. SANTA ROMANA: In his omnibus habetur difficultas practica, quomodo nempe tot hominibus et tam frequenter sufficiens numerus confessariorum provideri possit.

P. DE GUIBERT: Directoris zelosi atque actuosi est sacerdotes et Nostros et saeculares movere, ut auxilium in confessionibus audiendis praestent. Tolosae v. g. quando unio illius associationis de qua supra locutus sum, fit, mane dominica tot sacerdotes adsunt in templo, ut facile quisque confiteri possit; praeterea homines sciunt die praecedenti se Directorem semper domi invenire posse, paratum ad confessiones excipiendas.

P. QUIRICO: Congregationes semper spiritum eucharisticum coluisse probant exempla in Urbe ipsa.

Congregationis, quam Caravitae appellant, socii, Patres per Urbis vias et plateas olim ducebant ut, concione variis locis habita, fideles ad Communionem generalem invitarent.

Opus vero Exercitiorum Opificum (I Ritiri operai) socios, qui Exercitia Spiritualia pergerunt, colligit omni die dominico et ad Communionem generalem perducit. In omnibus paroeciis huius operis sectiones habentur; confessarii praesto sunt et res cum divina benedictione prospere procedit.

Nunc velim observationem quandam facere de sacello Congregationum. Si omnes conventus, Communiones, etc. in privatis Congregationum sacellis peraguntur, experientia teste, periculum est ne sodales, pueri praesertim Collegiorum, non satis pietatis officia in publico exercere assuescant, atque ita ex patria urbe in alias traducti, pristinum zelum facile amittant et ab accipiendis sacramentis recedant. Nonne melius ideo, ut respectus humanus a sodalibus removeatur, conventus Congregationis in templo publico habeantur? Et si id, ob quaedam obstacula, fieri nequeat, saltem aliquotiens Congregatio tota in publicis exercitiis pietatis partem habeat.

Ad spiritum eucharisticum fovendum magnopere conferet, si omnia quae in hac re fiunt, modo organizato instituantur ita ut sectio eucharistica in quavis Congregatione formetur quae sub Directoris ductu omnia quae ad spiritum eucharisticum excitandum et augendum fient, dirigat.

Sectio S. Ioannis Berchmans diligenter organizetur et ita non modo ipsa spiritum liturgicum promovebit sed medium optimum etiam erit ad vocationes excitandas.

P. Stejskal: Praecaveri debet ne, si Congregationes omnia exercitia pietatis in privatis sacellis instituant, frequentiae nostrorum templorum detrimentum afferant, cum ibi fideles exemplo tot virorum careant; ita vespertinae quidem devotiones in sacellis suis Congregationes peragant, sed missae in templo ipso assistant et Communionem ibi ad omnium aedificationem suscipiant.

P. Fiocchi: Equidem iis quae modo P. Quirico et P. Stejskal protulerunt plane assentior. Sed apud nos aliqui Patres putant ex antiqua Congregationum traditione, has plane in suis propriis sacellis relinquendas esse. Attamen videtur praeferendum ut sodales in iis condicionibus ponantur in quibus coram multis fidem atque pietatem audacter et sine ullo respectu humano monstrare debeant, alioquin ut dictum est, timere debemus ne postea sibi relicti, omnia quae antea didicerunt et exercuerunt omittant. Valde utilis esset decisio auctoritativa de hac re.

P. Revello: Non omni difficultate res carere videtur. Nam caeremoniae in templis paroecialibus non ubique bene et uti decet fiunt.

Quidam etiam parochi putant nostras Congregationes alienare fideles a paroecia et eas solverent libentissime: proinde non nimium concedendum. Sodales ipsi saepe sacellum Congregationis, quod ipsis carissimum est, relinquere nolunt. Fortasse aliqua via media iniri poterit i. e. Congregatio saltem aliquoties in parochia appareat, v. gr. semel in mense.

Praeses: Tractandum hic etiam videtur quoties sodales congregari debeant, nam sunt non pauci sacerdotes qui putant veram Congregationem Marianam non haberi nisi saltem decimo quinto quoque die conventus cogatur.

P. Drüding: In Germania aliae Congregationes octavo quoque die, aliae quinto-decimo, aliae semel in mense conveniunt; frequentia Congregationum pendet a parocho, qui si, ut interdum accidit, 5, 10 vel 15 associationibus praeest, Congregationem Marianam omnino non potest saepius convocare; alibi etiam templum ipsum, quod omnibus piis associationibus locum praebere debet, frequentioribus conventibus Congregationis non satis est. Multis sacerdotibus gratissimum esset, si audirent sufficere ut Congregationem semel tantum cogant in mense, aliis dominicis autem sodales obligent ad audiendam concionem parochialem, quae tunc in locum allocutionis in Congregatione habendae sufficitur.

Conclusiones.

A. R. P. N.: R. P. Wernz b. m., qui ultimas regulas Congregationum statuit, saepe audivi dicentem regulas, quae ad minuta descendunt, potius directivas habendas esse; unde regula, qua unus saltem in hebdomada praescribitur conventus non ita est intelligenda ac si vera Congregatio non haberetur, si ob serias causas conventus coguntur rarius; sed id tantum exprimitur optandum esse ut sodales, si fieri possit, semel in hebdomada conveniant. Equidem Congregationem valde florentem, ludimagistrarum, cognovi, quae plurima ad Dei gloriam praestitit, sed ob varias causas non nisi quater in anno sodales convocare potuit. Quis ob eam solam rationem negabit esse veram Congregationem? Quod ad indulgentias spectat, hae certe non a nobis dependent, sed etiam lucrari possunt, si saltem bis in mense conventus habetur. (Act. Rom. ab. a. 1906 ad 1910, p. 54).

Valde mihi probatur, quod P. Garagnani proposuit ut conventus noster litteris ad RR. DD. Heylen datis adhaereat Congressui Internationali Eucharistico. P. Garagnani velit schema litterarum parare neque dubium est quin RR. Domino gratissimae sint futurae, cum a tot Patribus, ex omnibus mundi partibus collectis et plurimas Congregationes repraesentantibus, subscribantur (1).

De Congregationibus in paroeciis et extra domos nostras erectis Pater Delegatus Prov. Campaniae recte dixit errorem esse cum quis sacerdos scripserit eas a Patre Generali pendere. Congregationes Marianae vere ad parochias spectant idque magis quam alia multa opera. Parochi experientia edoceri debent Congregationes nil aliud intendere quam iis auxilium ferre.

Difficultas quidem habetur ut Congregatio qua talis certa opera parochialia in se suscipiat, sed possunt in consultatione tractari et quae deinde per sodales singulos peraguntur, merito Congregationis opera habentur, etsi ut talia non appareant. Ita P. Abel Provinciae Austriae, cum urbs Viennensis plene sub liberalium partium et hebraeorum

(1) Vide Append. II.

iugo gemeret, sodales suos diligenter paratos et zelo vere apostolico imbutos misit in associationes civiles, ut eas spiritu christiano informarent et hac ratione Congregationes non parum contulerunt ut viri christiani gubernio urbis potirentur. Congregationes vero suis finibus se continentes fere ignotae erant civibus tunc temporis, sed in abscondito, quia indirecte per sodales, summum bonum operatae sunt.

Congregationes debent habere *sacellum proprium*: hoc ex ipsa rei natura patet. Congregatio cum eminentium in sua classi hominum sit delectus, peculiarem quoque, a turba separatum sibi locum habeat oportet. Attamen summa opera enitendum est, ne activitas neve pietas sodalium in huius sacelli angustis finibus timide contineatur. Hic est defectus adaptationis ad nostra tempora et in hac re in variis regionibus est peccatum. Sic factum est ut Patres non pauci fere totum tempus et vires in 15-20 iuvenes sine notabili fructu collocarent. Et tamen historia Congregationum ipsa clare nos docet, quid v. g. Neapoli, temporibus S. Francisci de Hieronymo, fideles ad Communionem generalem adducendo Congregati praestiterint. Palam Sodales fidem suam confiteantur oportet, aliisque exemplum vitae vere catholicae praebeant neve vero semper clausi in sacellis suis relinquantur.

Quod autem ad spiritum liturgicum promovendum attinet, plane probo quae P. Garagnani protulit. Associatio S. Ioannis Berchmans optima est; cogitabimus de eius statutis ad maiorem unitatem redigendis. Caveamus ne novum quendam spiritum liturgicum inducere velimus, sed eum antiquum atque genuinum fideliter retineamus et in aliis excitemus, quem S. P. N. Ignatius in regulis ad sentiendum cum Ecclesia (cfr. annot. 20) nos docet.

Negari non potest aliquam negligentiam in hac re a nobis commisam esse ideoque nunc novis mediis antiquum spiritum excitare conemur. Opportune hic nomen mihi occurit Patris illius americani, Wynne, qui missale ad fidelium usum splendide edidit. A falso tamen spiritu liturgico cavendum esse historia et tristis sors Ecclesiarum schismaticarum nos docet, quae a centro unitatis recedentes eo devenerunt, ut nil fere cognoscerent praeter rituum constantiam atque splendorem eaque pluris facerent quam internum illum amoris spiritum, qui ritibus externis ipsis vitam et significationem tribuit.

De spiritu eucharistico fovendo id tandem dico. Videmus ad eum excitandum et magis fovendum non paucas novas associations praeter Congregationes ortas esse. Quod non ad pruritum quendam novarum semper institutionum reducendum est, sed fateri debemus eo evenisse, quod Congregationes nostrae non ea ratione processerunt, quae eis gloriosa maiorum traditione demonstrata et praescripta fuit. Quantum praestiterunt Congregationes antiquae Societatis ad spiritum eucharisticum fovendum! Rectissime dici potest eis magnas regiones totas, v. g. Austriae et Germaniae, debere, si fidem in realem Domini Nostri in Eucharistia praesentiam contra haereticorum impetus usque ad haec tempora servaverint. Ideo quod in praeterito forte negleximus, nunc novo maioreque studio reparemus.

§ 2. *De operibus charitativis.*

PRAESES: Agamus nunc de operibus charitativis, etiam praeventivis et reconstitutivis.

P. QUIRICO: Hic summi momenti videntur esse ea opera charitatis quae sodales ipsos respiciunt. Nam his difficillimis temporibus sodales auxilio materiali profecto indigent. Praecipuum erit ut iuvenes nostros, studiis peractis, iuvemus in positione sociali obtinenda qua ipsis vitam congruam parare et familiam condere et honeste sustentare possint. Idem valet de viris adultis, de opificibus, negotiatoribus. Si sodales vident etiam necessitates suas temporales Directori cordi esse, novo atque arctiore amoris vinculo cum Congregatione iungentur. Curare tamen debemus, ne in hac re modo quodam burocratico, sed largissimo caritatis spiritu procedatur.

P. ROSTWOROWSKI: In Polonia Congregationes Studentium ut mutuo auxilio sibi essent, secretariatum erexerunt, qui victum, habitationem pauperibus et recenter advectis providet eisque lectiones, pecunia retributas, procurat apud divites. Eiusmodi sectiones etiam ludimagistrae, aliaeve Congregationes cum fructu habent. Aliae sectiones sunt quarum est aegrotos sodales invisere, eorumque curam habere et similia. Non vana spes est has sectiones bene institutas et experientia probatas paulatim activitatem in alias urbes atque etiam terras extendere posse, ita ut opus modeste coeptum sensim internationale evadat: litteris patentibus, quibus providentur, sodales in aliarum terrarum Congregationes induci eisque commendari poterunt.

P. DRÜDING: Exemplo adducto societatis, quam matres catholicae berolinenses ad mutuum sibi auxilium ferendum fundaverunt, describit quanti fructus hac ratione nasci et quantum auctoritatis rei catholicae accrescere possit.

P. BÜS: Non reprobo ut sodalibus auxilium in rebus materialibus a Congregatione praebeatur, sed postulo ut omni cura adhibeatur ne hoc modo Congregatio detrimentum accipiat. Nam, tristi experientia edocti, scimus magnum periculum esse ne commodis materialibus alle-

cti aliqui se intrudant et simul cum eius bono spiritu, Congregationem ipsam perdant. Itaque non sum contrarius ut sodales a Congregatione in rebus quoque materialibus iuventur, sed quam cautissime id fiat et admitti non debent nisi ii qui pura intentione id petunt.

P. RAMIREZ: Valde mihi placet quod sodales mutuo auxilio iuventur, dummodo cautio quam P. Bùs postulavit adhibeatur. Negari nequit multos iuvenes, saltem in nostra regione Mexicana, Congregationi alias societates ut equites Columbi praeferre, quia ibi etiam materiale auxilium inveniunt. Si iis, praeter spiritualia, etiam materialia commoda praebebimus in Congregationibus, eas non tam facile deserent.

P. CORREA: Omnino approbo ut Sodales invicem iuventur. Sed existimo id cum magna cautela debere fieri, quia alias nonnulli appetunt Congregationes non ob fructum spiritualem, sed ob lucrum materiale.

Ita ex Europa non pauci ad nos in Americam meridionalem (Chile) veniunt, qui titulo Sodalis B. M. V. innixi auxilium petunt, sed eo, ut saepe postea apparet, minime digni sunt. Ideo mihi requiri videtur, ut nemo commendatione iuvetur, nisi sit probatus ut bonus sodalis et fortasse possit poni ut condicio accipiendi auxilium peculiare quod iam per duos annos in sua Congregatione satisfecerit. Imprimis auxilio indigent iuvenes qui sani plerumque et boni in magnas urbes adveniunt, sed facile, si non succurruntur, in fide et moribus damnum patiuntur. Ex mea igitur sententia sodalibus auxilium materiale praeberi potest et debet, attamen cum magna cautione.

P. AYALA: Ne nimis determinetur in quibus rebus auxilium praestandum sit; alias si quidam iuvari nequit, facile querelae et murmurationes habentur. Videtur satis esse, si dicatur: Caritas erga Sodales exerceatur omni modo practice apto ad finem sodalitatis.

Enarrat magna pericula quibus adolescentes, qui studiorum causa Matritum veniunt, ibi exponuntur et curam describit quam P. Santa Romana Vallisoleti his iuvenibus adhibet, eis in bonis domibus privatis hospitium procurando. Hoc iuvamen debet omnino a Directoribus adhiberi.

Directores valde diligenter curare debent, ut sodales confessarium stabilem sibi eligant; sic enim iam habent magnam partem solidae formationis, quae Congregatio iis procurare debet.

Concio dominicalis sodalibus propria habeatur. In templo nostro Matritensi dominica hora 9 portae clauduntur et usque ad 10 clausae manent, ut coram sodalibus maiore cum fiducia et libertate concio fieri possit.

P. ROSTWOROWSKI: Censeo, iusta cautione adhibita, sodales etiam in rebus materialibus iuvari debere. Nunquam enim magis quam tristibus his temporibus homines tali auxilio indigent, et societates protestanticae id largissime praebent, ut in Polonia ea quam Y. M. C. A. vocant. S. Pontifex Benedictus XV ipse monuit, ut societates instituerentur quae catholicis auxilium ferrent.

Sed puto non a Directore ipso, sed a sodalibus, sectione mutui auxilii erecta, subsidia distribuenda esse; sic enim, cum Sodales se invicem melius cognoscant, abusus securius praecavebuntur. Neque ad pecuniam solam praebendam hoc mutuum auxilium restringendum est, sed variis rationibus iuvari poterunt, habitatione, lectionibus, officiis procurandis. In multis Congregationibus talis sectio iam habetur et floret. Paulatim inter plures vel universas gentes extendi poterit, ut institutum internationale evadat.

P. GARESCHÉ: Praecipuum est ut in Congregatione formentur viri capaces dirigendi opera et ad omne sacrificium parati. Hi postea societates instituere poterunt potentia non absimili, quas sectae protestanticae formaverunt, quae, ope subsidiorum materialium, iuvenes et pueros etiam catholicos ad se trahunt. Sic nostri, non quidem a Congregatione ipsa, sed a sodalibus in ea formatis iuvabuntur.

P. MISCHLER: Magna cum cautione procedendum est in auxiliis materialibus praebendis, praesertim cum agatur de litteris commendaticiis alieno congreganistae concedendis; quia, experientia teste, saepe indigni tales litteras quaerunt. Sed summi momenti sunt litterae patentes in Congregationibus iuvenum vel virginum, quorum magnum numerus quotannis ex una civitate in aliam vel rure in urbem migrat. Non solum iis ipsis absentibus litterae patentes dandae sunt, sed etiam Congregatio in urbe monenda de eorum adventu; nam saepissime iuvenes recentes in urbem advecti non quaerunt Congregationem, sed debent quaeri ab officialibus Congregationis.

Sodalium mulierum praeclarum opus est in stationibus viae ferreae invigilare puellis iter facientibus ne in pessimorum hominum manus incidant.

P. QUIRICO: Difficultates quas aliqui Patres experiuntur, in eo quod Congregatio sodales materialiter quoque iuvare debeat, ex eo oriri videntur quod de pecunia subministranda cogitant. Sed talis non fuit mens mea cum hoc consilium proponerem, immo adversarius sum huic modo iuvandi, nisi forte in casibus extraordinariis et raris exceptio facienda sit. Equidem maxime ea auxilia intendi, quibus sodalibus positio socialis eorum statui et educationi congrua procuratur. Neque

ab id faciendo recedendum esse videtur, quod fortasse inter decem quos commendamus unus invenitur indignus. Congreganistae maxima gratitudine erga Sodalitatem afficientur, quae eis non solum spiritum vere catholicum praebuit, sed etiam positionem socialem.

P. JOLLAIN : Non tantum in pecunia subministranda sed etiam in positione sociali nostris congreganistis obtinenda pericula quaedam latent. Praeter alia quae iam allata sunt, hac ratione etiam quam apud multos Societas iam habet fama augetur, Iesuitas ad res summas obtinendas fere plus valere quam viri maxima auctoritate pollentes. Satis ergo mihi esse videtur ut commendetur caritas erga sodales.

Etiam in positione sociali obtinenda iuvari poterunt, at non modo organizato. Congregatio enim simillima est Societati et, ut haec, omnem obligationem quae eius agilitati nocere possit a se repellere debet. Idem valet da habitationibus, etc. procurandis modo organizato.

P. RAMIREZ : Mihi parum videtur si caritas erga sodales tantum modo non organizato exerceri debet ; parum praestamus in hac re, nunc praesertim summi momenti, Ideo modo organizato puto instituendas esse domos in quibus socii possint habere gymnasia, balnea ; procurare habitationes et alias res temporales his similes, ut faciunt v. gr. coetus Iuventutis Catholicae et aliae societates.

§ 4. *De operibus culturae.*

P. QUIRICO : Summo cum gaudio vidi in relatione Provinciae Toletanae agi de formandis professoribus in Universitatibus publicis. In hac re summi momenti Congregatio facile praeclarum aliquid praestare poterit ; nam inter suos sodales habet iuvenes optimis ingenii dotibus praeditos, assiduos et ad studia specialia inclinantes. Directoris igitur erit tales iuvenes ad hunc statum allicere, hanc vocationem fovere. Ita augebitur numerus professorum catholicorum in Universitatibus cum maximo societatis bono. Hoc medio in pluribus Universitatibus Italiae diminutus et fere exstinctus est antiquus spiritus anticlericalis.

P. SIERP : In circulis studiorum, quae in Congregationibus habentur, historia Congregationis tractetur oportet.

P. DE GUIBERT : Velim ut historiae Congregationis etiam dogmatica addatur. Non pauci iuvenes conqueruntur quod quidem pulcherrimas conferentias apologeticas saepe audiunt, sed non habent cursum theologicum in lingua vernacula eo technico modo confectum, quo professores saeculares res suas tractare solent.

P. ROSTWOROWSKI confirmat exemplis quantopere nunc homines quaestionibus theologicis delectentur, quantopere exoptent ut de his rebus edoceantur.

P. REVELLO : Multum etiam iuvabit ad populum melius edocendum *bibliothecas* instituere, sic dictas, circulantes. Neque negligi debet solida sodalium institutio in rectis principiis socialibus. Hac occasione liceat mihi quaestionem practicam ponere : estne permissum ut, ad conferentias congreganistis habendas, viri invitentur qui quidem boni catholici sint, sed quasdam partes politicas sequuntur v. g. Partito Popolare ?

P. SIERP : Ad res quae in circulis sodalium tractandae sunt, addatur etiam *theologia moralis* ; Monachii magno fructu talis cursus specialis pro studentibus medicinae est habitus. Utiliter addi possunt lectiones de modo orandi et de rebus liturgicis (scientifico modo) ; sic iterum Monachii Pater quidam apud studentes, cum magna eorum delectatione, de natura orationis disseruit.

P. GARAGNANI : Etiam nostris congreganistis (Universitariis romanis) lectiones dogmaticae arrident, sed difficultas in eo est, quod non satis parati sunt : catechismum ignorant. Ideo auctor sum ut Congregationes nostrae completam atque continuam institutionem sodalium in doctrina christiana curent ; in Congregationibus puerorum catechismus doceatur ; in Congregationibus scholarum mediarum cursus *regulares* doctrinae christianae habeantur ; et tunc in Congregationibus studentium Universitatis, fundamento solido posito, lectiones apologeticae, dogmatis, moralis, historiae, etc. cum fructu tradi possunt.

P. VILLARET : In Gallia lectiones de re dogmatica apud viros cultos advocatos, medicos, professores Universitatum, tribunos militares ita habitae sunt, ut quotannis tractatus quidam theologiae perficeretur. Pater cursum suum scripto parabat et conspectum lectionis litographatum auditoribus tradebat ita ut post paucos annos completum cursum theologicum in manibus haberent. Simile quid pro opificibus factum est eo felici eventu ut quidam eorum isque vere rudis, post cursum de Gratia dixerit : « Nescio quomodo quis, qui haec audivit, ad peccatum redire possit ».

P. RAMIREZ : Hi cursus etiam ad alios extra Congregationem extendi possent ut fructus multiplicentur. Equidem cursum P. Polidori in templo e suggestu coram pluribus quam 300 viris cultis, advocatis, medicis, etc., eodem modo quem in schola seguimur, explicui. Constantia aliorum fere maior fuit quam Sodalium.

P. ARCHAMBAULT : Nos quoque explicationem cursus religionis facimus in Canada magno cum fructu.

P. VAN RUTH: In Hollandia Pater quidam catechismum modo simplicissimo exposuit; nomen tamen conferentiarum his instructionibus imposuit et multi viri venerunt.

Dolendum est quod continua Congregationum Marianarum historia non habeatur: nunc autem P. Albers (Prov. Neerl.) talem generalem historiam confecit et in periodico « Het Directeuren-Tijdschrift » publici iuris facit.

P. STEJSKAL: Ne ii sodales qui ob nimiam distantiam conventui adesse nequeunt, adhortatione et instructione careant, in quibusdam Congregationibus in usum venit, ut quidam concionem Directoris stenographice excipiant, eamque multiplicatam absentibus mittant. Si plures in eadem urbe commorantur, conveniunt et simul instructionem legunt. Hic modus Directori etiam excitamento est ut conciones diligenter paret.

P. PRAESES: In nostra (Belgica) Provincia mos invaluit ut academiae in Collegiis plane independenter a Congregatione constitutae non ab huius Directore, sed a professoribus regantur. Quid de hac re tenendum est?

P. JOLLAIN: Quae in fine § 4 opera culturae indicantur, meliore ordine exhibeantur et post rem apologeticam addenda videtur sociologia. Director invigilet autem ut quae in hac materia proferuntur doctrinae catholicae respondeant et ut praesertim respectus iuris et proprietatis aliorum inculcetur.

Discussio concluditur.

P. GENERALIS: Primum ad ea quae P. Praeses de academiis in Belgio quaesivit: modus, quo apud vos academiae instituuntur, non est reprobandus; cum sana aliqua libertate in his rebus procedere debemus.

Ex iis quae Patres e variis regionibus in discussione de mutuo inter sodales auxilio attulerunt clare apparet rem esse maximi momenti. Via media incedere debemus. Quae de mutuo auxilio in Schemate (p. 7) habentur, clarius exprimi et praesertim in praxim deduci oportet, ut actio Congregationis legibus christianae caritatis plane conformetur eiusque spiritu perfundatur. Exemplo nobis sint primi christiani de quibus infideles, eorum opera charitatis cum vidissent, dixerunt: « Quomodo christiani inter se diligunt! ».

Discere possumus etiam ab hebraeis et francomurariis. Quorum quis si in terram alienam advehitur, statim a contribulibus vel sociis adiuvatur.

Ut id autem in Congregationibus fieri possit, viros selectos atque

probatos tantum in eas admittantur oportet. Magna prudentia in hac re et circumspectione opus est, nam non tantum in pecunia ipsa subministranda, sed etiam in positione sodalibus Congregationum obtinenda magna pericula cavenda sunt. Numquam tamen rem in se optimam ob pericula adiuncta relinquere debemus. Paulatim incipiamus idque ut prudenter proposuit P. Ayala a iuvenibus, quia ibi periculum minus est et res facilius fit.

Quod ad opera culturae spectat, maxime institutionem religiosam curare debemus idque modo technico. Ubique terrarum, ut Patres Delegati ipsi retulerunt, sentitur huius doctrinae necessitas et summum desiderium. Sodalibus etiam plus quam aliis in hac re utilissima praebere tenemur: profundiore scientia instituantur. Sic ad notitiam religionis illorum temporum appropinquabimus, cum etiam laici disputationibus de subtilioribus religionis doctrinis, miro modo delectabantur.

Ad quaestionem a P. Revello propositam num viros vere catholicos qui vero alias partes politicas sequuntur invitare possimus ut sodales edoceant de rebus quarum notitia singulari modo excellunt, respondeo: Per se possumus id facere, dummodo agatur de viris vere catholicis, attamen semper cautione opus est et vigilantia, ut doctrina vera et iusta proponatur; cum vero plurimum in hac re a circumstantiis omnino particularibus pendeat, Patres Provinciales in singulis casibus providere debent.

SESSIO IV.

PROGRAMMA: *De operibus zeli apostolici: de modo promovendi Congregationes et de praecipuis difficultatibus.*

§ 1. *De operibus socialibus et oeconomicis.*

PRAESES: Pervenimus ad § 5. Fieri non posse videtur ut Congregatio opus syndicale instituat, nam, ut alia omittam, ad huiusmodi opus requiruntur plurimi homines cum Congregatio, natura sua, paucorum selectorum sit. Ideo omnino assentiendum videtur iis quae in schemate § 5 de talibus operibus dicuntur.

P. DE BECDELIÈVRE: Potestne Congregatio directe, i. e. per se opera socialia instituere, saltem ea opera socialia quae non sunt syndicalia et oeconomica?

A. R. P. GENERALIS: Des exemplum concretum.

P. DE BECDELIÈVRE: Exempli gratia ea opera quae familiis pauperum aut etiam sodalium auxilia praestant, vel ea dispensatoria

in quibus remedia aegris distribuuntur, aut medici consultationes dant.

A. R. P. GENERALIS: Haec sunt potius opera caritatis.

P. QUIRICO: Cum de operibus socialibus loquimur, distinctione opus est: sunt opera socialia directe practica et opera socialia culturae, studia de re sociali theoretica; haec studia certe Congregatio suscipere et promovere potest. Nunnulla opera practica quoque non sunt aliena a Congregatione, v. g. laboratoria et alia huiusmodi instituere. Sic plurimae Congregationes foeminarum habent laboratorium, ubi puellae artem vestium conficiendarum addiscunt.

Quod attinet ad opera syndicalia et oeconomica, haec a catholicis ubique terrarum promoventur, sed alio et alio modo; vel spiritu omnino confessionali ut aiunt, ut v. g. in Hollandia et in Gallia et alibi, vel spiritu largiore respondenti tamen principiis christianis ut v. g. in Italia, ubi organizati in operibus syndicalibus et oeconomicis catholicorum sunt plures quam duo miliones.

Congregationes non debet directe talia opera suscipere, sed multum facere possunt ut spiritu christiano alantur.

Earum tamen munus et gloria est viros spiritu sacrificii et zelo apostolico imbuere et ad haec opera dirigere ut ea excitent et ad mentem Ecclesiae regant. Sic selecti congreganistae ad cursus sociales mitti possunt, ut boni propagandistae formentur.

P. MISCHLER: In operibus socialibus distinctio fieri potest inter opera socialia, quae potius ad charitatis officia pertinent ut Conferentiae S. Vincentii a Paulo et eminenter socialia sunt, et ea quae meliorem reddere condicionem classium inferiorum non lento et pacifico labore appetunt, sed violento modo qui pugnam quandam sapit. Haec, ut patet, a Congregatione aliena esse debent.

A. R. P. GENERALIS: De operibus caritatis in § 3 actum est; hic de operibus syndicalibus, oeconomicis, politicis tractandum est. Commissio nostra difficultatem praevidit et prudenter evitavit, optima distinctione facta inter opera caritativa ex una parte et syndicalia, oeconomica politica ex altera parte.

P. DE GUIBERT: Licetne Congregationibus organizare per se secretariatum socialem? Non agitur de syndicatu, sed de associatione catholicorum qui consiliis, instructionibusve opera socialia, cooperativas, etc. inter nostros promovent et curant ut vere catholico spiritu regantur.

P. PRAESES: Quid censent Patres Delegati de hac re; lumina nobis afferant.

P. DRÜDING: Haec quaestio mihi videtur iam decisa iis quae A. R. Pater Generalis dixit. Si societas a Secretariatu promota ut cooperativa, obligationibus suis impar evaserit, de damno reparando Congregatio spondere debet.

P. DE GUIBERT: Observari debet secretariatum ut talem nullius damni fieri sponsorem, sed membra secretariatus relate ed ea opera quae promovent; socius unus secretariatus opus syndicale v. g. cooperationem fundat et pro hoc suo opere respondet; secretariatus non est nisi organum quoddam coordinationis.

PRAESES: Haec distinctio difficilis usus esse videtur in praxi; et periculum remanet.

P. ARCHAMBAULT: Tales secretariatus apud nos (in Canada) ab Apostolato Orationis fundantur.

A. R. P. GENERALIS: Cauti esse debemus, nam distinguendum est inter varias sphaeras activitatis. Omnis associatio suam propriam sphaeram activitatis habet et inter fines huius sphaerae se continere debet. Id solum curet quod sibi proprium est. Ita Apostolatus Orationis habet finem suum clare praescriptum et suam sphaeram clare delimitatam. A rebus alienis abstinere debet, v. g. ab iis quae ad Congregationes pertinent, ne a recta via deflectat. Simili modo sphaera propria Congregationum non est sphaera operum socialium. Ea opera socialia potius pertinent ad aliis societates uti v. g.: l'*Action populaire* in Gallia. Congregationes igitur inter fines suos se contineant, et ut ad punctum proprium redeamus, non debent per se opera habere quae propria secretariatus socialis sunt. Sed si necessitas huiusmodi operis urget, aliique illud incipere non possunt vel nolunt, Congregatio ei initium dare potest, sed curet ut quamprimum opus tale aliis tradat: sic etiam S. P. Ignatius se gessit. Non autem convenit ut Congregatio ipsa talem secretariatum stabili modo habeat; non puto id fore in bonum Congregationis.

§ 2. *De principiis practicis.*

Brevis quaestio utrum aliqui collaboratores qui sodales non sint, in sectiones Congregationis possint admitti.

PRAESES: Venimus nunc ad tractandum punctum 6.m *de principiis practicis pro operum selectione.*

P. BÜS: Non caret difficultate quaestio de modo quo sodales opera pia exercere debent. Possunt ea exercere aut seiunctim aut coniunctim, seiunctim agunt cum eis tamquam privatis se offert occasio aliquid boni faciendi sive in familia sua, sive in officio etc. Debent

animari et instigari ad opera haec personalia. In quibusdam Congregationibus mos est ut aliqua opera in schedis descripta pietati et zelo Sodalium proponantur: unusquisque seligit quod ei maxime convenire videtur et sub finem mensis omnia opera peracta computantur. Haec praxis in Congregationibus virorum difficilius adhibetur, sed etiam ipsi eam acceptant libenter, dummodo bene a Directore educati sint.

Communis vero Congregationis actio fit per sectiones; ne earum plures admittantur quam tot quot necessariae sunt ut omnes sodales occupari possint; tot autem erigantur oportet, ne quisquam labore congruo careat. Sectiones cum eriguntur, non id intendendum ut sua ipsarum propria opera sibi excitent, sed magno fructu etiam in iam existentibus operibus cooperari possunt.

Difficultas saepe oritur quando agitur de obtinendo effectu ampliore et in Congregatione inveniuntur quidem viri boni et zelo pleni, sed minoris in vita publica influxus atque auctoritatis. Sic Moderator quidam aptissimus et peritissimus mihi dixit: « Post tot labores turbam mendicorum habeo ». Causa est quia viri muneribus maioribus praefecti, nescio qua de causa, fortasse respectu humano retenti vel quia Congregationem non satis norunt, ei nomen dare nolunt. Ideo hic summo gaudio audivi aliquos Directores sibi comparasse societatem extra Congregationem quidem, sed aliquo modo cum ea coniunctam et per eam fructus eminentes obtinuisse ad maiorem Dei gloriam. Szegedini in Hungaria Congregatio creavit sectionem aliquam ad defensionem Ecclesiae: Congregatio ipsa habet 50 sodales; 100 vero viri, alias boni catholici, qui tamen Congregationi adscribi noluerunt, huic sectioni se adiunxerunt et per eos plane mira peraguntur ad rei catholicae defensionem. Quaestio mea nunc haec est: potestne Congregatio sectionem sibi constituere in quam etiam non sodales admittantur ut ad finem sectionis proprium collaborent?

P. CORREA: Existimo in schemate p. 7, II n. 5 ubi agitur de operibus Congregationis, addendam esse paragraphum de operibus in defensionem Ecclesiae contra impetus adversariorum suscipiendis eo quod in schemate nullibi, saltem non explicite, habetur id quod significat regula 1ª P. Wernz « defendat Iesu Christi Ecclesiam contra impiorum hominum impetus » (Act. Rom. 1910 p. 94). Hic poterunt indicari aliqua huiusmodi opera maioris momenti, ut pugna contra sectas secretas v. g. francomurariorum, nam Leo XIII in aliqua sua Encyclica scripsit: Congregationes ex natura sua destinatas esse ad debellandam illam sectam, uti pugna contra educationem laicam et

atheam, quae ubique in scholis publicis traditur, uti denique pugna contra neopaganismum, quo omni modo in vestibus inhonestis, cinematographicis repraesentationibus, societatem inficere conantur.

P. DRÜDING: Commemoranda videntur etiam opera ad conversionem ethnicorum et haereticorum destinata.

P. ROSTWAROWSKI: Gravissima mihi quidem videtur quaestio, quam P. Bús movit num in sectionem aliquam Congregationis non sodales admitti possint. Etiam Leopoli habemus tales societates v. g. Petri Skarga nomine, alia quae orphanorum tutela, aliae aliis operibus occupantur, sed eiusmodi societates sectionibus proprie dictis adnumerari nequeunt; ad sectionem enim requiritur ut Directoris iurisdictioni subsit. Praeterea Congregationi periculum creare possunt. Neque apparet ratio cur ut sectiones Congregationis prorsus constituendae sint. Nam si necessitas talis consociationis adesse videtur, Congregatio eam incipiat quidem, sed extra se eam constituat et promoveat neque quidquam obstat, quominus sodales in ea laborent; quod si ut sectiones constituantur, ob hanc a Congregatione dependentiam fortasse etiam campus laboris restringetur.

P. STEJSKAL: Coetus illi potius Praesidi adhaerere videntur, quam Congregationi.

P. MISCHLER: Res videtur spectare ad caput III ubi tractatur de relationibus Congregationis cum aliis societatibus. Congregatio tale opus creare potest uti patet, sed alia quaestio est, num ut sectio Congregationis considerari possit.

P. VILLARET: Ni fallor, quaestio R. P. Bús non fuit utrum Congregatio posset aliquam societatem tamquam sectionem propriam sibi adiungere, sed utrum posset sectionem sibi constituere in quam etiam non sodales admittat, ut ad finem sectionis proprium collaborent. Incommoda quae enumerata sunt, priorem quaestionem tangunt, nullo modo posteriorem. In hoc altero casu agitur de aliqua Congregationis extensione minime spernenda. Cum Congregatio eos viros catholicos, licet non sodales, tanquam collaboratores in sectionem suam admittit, auxilio et influxu eorum, qui sodales esse nequeunt aut nolunt, utitur ad attingendum finem suae sectionis proprium.

§ 3. *De sectionibus ludorum et recreationibus.*

PRAESES: Venimus jam ad ultimam paragraphum nostri capitis, de praecipuis punctis discussionis.

P. MULDERS: In memoriam revocare hic liceat epistolam quam

R. P. Wernz b. m. die 5 aug. 1914 ad Provinciales Italiae misit (1). Ibi dicitur in Congregationibus nostris sectiones gymnicas et ludorum non admitti. Valetne hoc fortasse tantum pro Italia? Non videtur: nam adducitur, quae ubique valet, ratio generalis « diligens ea cautio est adhibenda, ne pia ac Deo dicata esse desinant et gradatim ad profana vergant sodalium desideria ».

Sed nunc interrogo: Quid nostris temporibus potest esse Congregatio iuvenum sine ullo *sport?* Si est Congregatio in associatione iuvenum, habemus quasi tres circulos concentricos: maximus - unio iuvenum; secundus - Congregatio; tertius - regimen totius associationis et Congregationis. Tunc idem regimen potest decidere quoad res sportivas, quae ad unionem spectant et res Congregationis. Si Congregatio omne exercitium sportivum reicit, iuvenes tamen suis exercitiis indulgebunt, Sodalitati vero valedicent.

P. Ersin: Apparet quoad res sportivas magnam esse diversitatem in Congregationibus pro variis regionibus. Apud nos Directores conqueruntur, quod, si associationes sportivas in Congregatione ipsa formant,

---

(1) Epistola A: R. P. Wernz, data 5 Aug. 1914, qua commendabatur Provincialibus Italiae cura Congregationum Marianarum (*Acta Romana*, 1914, p. 34-35). « . . . Et ut ad primum veniam, quia nativae pulcritudinis decoloratio in humanis operibus tunc fit, cum haec devertunt ad ea quae conformia non habentur proprio fini ad quem factae et ordinatae sunt; ideo necesse est ut diverticula ejusmodi praecludantur, quibus etiam nostrae Sodalitates declinent. Sane fateor nonnihil timeri posse ex illa quorumdam opinione juxta quam Italica juventus ab athletarum ludis ita abripi dicitur, ut vix aut ne vix quidem ipsa ad severiores institutiones adduci possit, quae simul coniunctam non habeant gymnicarum exercitationum *propriam* palaestram. Absit quidem ut is ego sim qui hujusmodi juveniles stadii labores generatim condemnem, quos etiam in nostris Collegiis moderate et cum laude alumni nostri suscipiunt; sed a sectionibus gymnicis et ludorum nostrae Congregationes, qua tales verius abhorrent, easque tanquam sui partes et proprias quasi phalanges non admittunt, licet inter sodales eos quoque cooptent qui alicui palaestrae, Congregationibus externae, nomen dederint. Merito enim vox Praepositorum Generalium et Romanorum Pontificum hac in ipsa nostra aetate piam usque indolem Congregationum nostrarum tueri non destitit. Sic P. Anderledy die 21 Nov. 1891 (Ep. Praep. Gen. Vol. IV, p. 257) ad Patres et Fratres Societatis scribebat: « Magnum ex omni labore nostro Dei gloriae fructum percipere cupimus. Quem ut ex Sodalitiis nostris colligamus, diligens ea cautio est adhibenda, ne pia ac Deo dicata esse desinant, et gradatim ad profana vergant sodalium desideria. Ad cultum enim Dei et Sanctissimae Dei Matris, ad sacra saepe percipienda, ad piam mortem obeundam hae sodalitates institutae sunt, nec illis potest esse ulla cum mundo societas ».

Sodales nimis dissipantur et spiritus et pax Congregationis facile detrimentum accipit. Praeterea fieri non potest, ut tales sectiones sportivae pares evadant associationibus, quae his exercitiis solum se dedunt. In nostris regionibus plerumque sic proceditur: Si habetur catholica associatio pro exercitiis gymnasticis, Sodales qui ea colere satagunt, his se adiungunt; si autem talis consociatio *catholica* non habetur, Congregatio ipsa aliquid hujus generis Sodalibus suis praebet, ne in aliis consociationibus summis periculis exponantur.

P. Revello: Distinctio mihi facienda esse videtur inter sectionem qua *sport* proprie dictum cum competitionibus importat et sectionem quae iuvenibus occasionem praebet quorundam ludorum ut *football*, etsi propriis huius ludi vestibus utantur. Illa non videtur admittenda, huic nolim esse contrarius.

Praeses: Peto ut peritissimi hujus rei, Patres Americani, proferant quid sentiant.

P. Gareschè: Principium quod in hac re sequi debemus clare enuntiatum est in epistola R. P. Wernz: sectiones sportivae non admittuntur. Sed permissum est nobis sectiones creare quae officium habent promovendi et organizandi ludos sportivos pro pueris et adolescentibus, et generatim sectiones, quae recreationibus honestis instituendis atque promovendis operam navant. Exemplo nobis sint et incitamento societates acatholicae quae tot iuvenes alliciunt, nobisque etiam non paucos eripiunt eo praesertim quia organizant et promovent ludos, quos pueri et iuvenes maxime amant. Non solis protestationibus sed actione efficaci conatibus eorum resistendum est. Nostrum igitur erit in Congregatione Sodales formare et zelo animarum imbuere, quo moti huic apostolatui inter iuventutem se dedicent. Patet ad hoc etiam requiri praeparationem technicam, mere voluntarii non sufficiunt, si cum aliqua spe boni successus cum magnis consociationibus acatholicis in hac re concurrere volumus. Quantum formatio quoque technica necessaria sit, vel ex eo intelligi potest, quod istae societates acatholicae duas scholas habent in Statibus Foederatis, quae praeparant alumnos ad centra dirigenda pro juvenibus.

P. Browne: P. Jacobus Cullen apud nos haec omnia, dempto cinematographo, instituit non per Congregationem quidem sed per societatem abstinentiae totalis. Nos sumus genus sportivum; aliquando difficile esset allicere iuventutem sine sectione sportiva.

Etiam sectione saltationum aliquando opus est. Si nos in Congregatione nil facimus in hac re, iuvenes nostri alibi pessimis periculis exponuntur et saepe in aliquibus regionibus, defectu sectionis huius-

modi, periculum matrimonii mixti, ut dicitur, augetur. Denique dismittenda sit. Aliquo modo huic rei providere debemus. De cinematographo equidem solutionem non invenio. Difficile est restringere hanc recreationis speciem inter limites boni et honesti, sed cum modo adsit, nostrum est efficere ut malum saltem minuatur. Dublini aliquibus sacerdotibus, inter quos etiam sunt Nostri, commissum est ut films censurae subjiciant.

putatio inter nos est num sectio ad theatralia spectacula agenda ad-

P. Ayala : Si epistola illa R. P. Wernz nimis stricto sensu intelligatur omnis recreatio e Congregatione tollenda est. Congregatio autem, etsi peculiari ratione opera pietatis, tamen totum hominem adolescentem spectare et educare debet. Alias pars educationis negligitur et sodales id quod apud nos non inveniunt, apud alios quaerunt. Multa peccata impedire possumus, si iuvenes etiam ad ludendum apud nos retinemus. Ideo : 1º Recreationes utiles, honestae in Congregatione locum suum habeant. 2º Habeatur domus vel alius locus quo ad se recreandum sodales convenire possunt. Sic obtinetur ut juvenes praecipue avertantur a pravis oblectationibus et sociis, ut bonos socios inveniant, facilius et saepius cum Directore colloquantur atque ab eo suavius dirigantur. Director invigilare debet ut in hac domo nullus spiritus mundanus spiret. Ad directionem pertinet constituere, perspectis necessitatibus et periculis cujusque civitatis, quaenam oblectamenta sint statuenda vel admittenda.

P. Conejos : Valentiae nonnulli intelligere non potuerunt, quod consociatio pia cinematographum habere possit.

Cum multas, varias, honestasque recreationes sodalibus praeberem, mihi aliqui difficultates moverunt, sed R. P. Wernz epistola me consolatus est et, quamquam sectiones sportivae generatim ei non placerent, ut pergerem me est adhortatus; quia Valentiae. 1º Recreationes illae et *sport* non adhibebantur nisi ut instrumentum renovandi spiritum christianum inter classes superiores. 2º Media illa feliciter et magno fructu adhibebantur. 3º Quia nihil in hac re factum est sine Superiorum approbatione et Exc. Archiepiscopi benedictione.

P. Drüding : Distinctione in hac quoque re opus esse videtur ; si *sport* et recreationes habentur quasi ut res primariae, admitti id nequit in Congregatione ; si vero adhibentur ut medium, ne iuvenes in alias societates abeuntes ad summa pericula opponantur, vel ut vires corporum honeste exerceant, damnandae non sunt.

Praeterea quaestio ponenda videtur, nonne melius quod Congregatio ipsa haec exercitia instituenda curet quam ut sodales suos ad alias, quamquam catholicas, societates mittat. Nam quis potest securus esse illam societatem, quamquam modo bona est, non mutatum iri in malam ; cum vero in Congregatione ipsa adolescentibus honestas recreationes praebemus, eos etiam sub cura nostra retinemus.

Quod ad cinematographum spectat, P. Joye Basileae primum habuit in sua associatione iuvenum ; est medium quo plurimi attrahuntur.

P. Praeses : Timeo ne in magnis urbibus cum cinematographis publicis contendere possimus. Aulam et instrumenta, immo et films jucunda, honestaque vix comparare possumus.

P. Drüding : *Films* honesta, mediante aliqua censura, obtineri possunt.

P. Conejos : Valentiae ea obtinemus. Magni quidem solvuntur. Musicos etiam habemus sine ullis nostris expensis. Attamen haec omnia non finis instar sunt, sed medii tantum.

P. Tierney : In America pueri et puellae recreantur sport, ludis et football. Etsi non videam necessitatem sectionum sportivarum, tamen censeo esse optandum, ut Congregationes per sodales promoveant honestas recreationes.

P. Ramirez : Mihi videtur Congregationis esse removere omnem excessum in recreatione et iuvenes docere, ut ipsi moderate iis uti sciant et assuefiant. Nam hoc est vitium capitale multorum iuvenum quod nil aliud quaerunt quam voluptates et pecuniam, ut eas sibi parare possint. Intra rectos limites autem Congregatio recreationibus uti debet ; quia iuvenes eas petunt, et quaerunt alias nocivas si in Congregatione non habent ; praeterea hac ratione oritur spiritus ille familiaris in Congregatione, cuius optimus influxus in totam educationem vix satis magni aestimari potest ; in iis recreationibus bene possunt socii se invicem cognoscere et amare, tractare Directorem, etc. etc. Multum iuvant rusticationes periodicae, et similiter concentus musicales, repraesentationes, etc. etc. De saltationibus in regione nostra Mexicana, si de iis agitur quae inter iuvenes utriusque sexus instituuntur, sermo esse non potest, nam saltationes quibus ibi utuntur multoties, non tantum periculis exponunt, sed in se inhonestae sunt.

P. Praeses : In Belgio Directores saltationes publicas prohibent sodalibus ; privata permittunt. Sufficitne ut in hac re applicentur principia moralis an plus est a sodalibus exigendum ?

P. Rostworowski : Equidem puto Patrem Delegatum mexicanum punctum gravissimum tetigisse. Dubium non est Congregationes debere erigere sectiones quae promoveant recreationes honestas, rusticationes, repraesentationes theatrales, saltationes etiam (exceptis in-

honestis quae, recenter ex America inductae, tantum damnum animis inferunt) licitae sunt et nonnunquam valde utiles. Sed nunc apud iuvenes cultus quasi cuiusdam novae divinitatis «*sport*» propagatur, qui cultus totum hominem absorbet, partem naturalem in eo explicat et supernaturalem suffocat. P. Roothaan aliquando dixit: « Abhorreo vocem, *comfort*; eodem modo nos abhorrere debemus vocem *sport*. Congregationes debent pugnare contra exaggeratum cultum *sport* et honestas recreationes intra iustae moderationis limites promovere.

Dictum est a nostro Secretario, P. Ayala, Congregationem debere occupare totum hominem. Sed hoc mihi saltem videtur fieri non posse ut Congregatio sodalibus omnia praebeat. Distinguendum est inter ea quae Congregatio potest et non potest. Numquam, ut bene animadvertit P. Ersin, Congregatio in rebus sportivis contendere poterit cum consociationibus quae iis ex professo operam navant. Iustum moderamen adhibendum est in recreationibus, Congregationes colant recreationes intra limites honestos et exaggeratas, ex professo sportivas, tollant.

P. Garesché: Magnum opus sociale atque caritatis esse posset promovere sport. Experientia teste in America pueri et iuvenes, qui in Collegiis et scholis eius exercitio moderate se dedunt, multo facilius se castos conservant. Ita multi sunt iuvenes catholici in Statibus Foederatis qui fere nunquam contra castitatem peccant. Exemplum etiam adducam, quod in bellum ingressuri Status Foederati consilium coeperunt, consultis medicis optimis, promovendi castitatem inter milites. Hoc fecerunt multiplicando opportunitates et incitamenta ad recreationes, praecipue sportivas. Sic, fatigatis corporibus et mentibus occupatis, multo facilius milites sese continuerunt. Multi ergo fuerunt milites Americani qui integri e bello domos redierunt. Item in ludis character solidatur, patientia, disciplina, dominium sui exercetur.

Malae recreationes tolli nequeunt nisi aliquid positivum earum in locum detur. Principium est psychologicum, mala arcenda sunt providendo bona. In America septentrionali necessarium est ut sport prudenter promoveamus. Haec exercitia physica bona sunt si bene reguntur. Tendentiam illam iam notam iuvenum in ludos sportivos non possumus constringere; providere ut in bonam partem vertatur est eximium opus charitatis.

Cinematographia maximum medium esse potest pro instructione etiam morali et religiosa populi. Hic iterum non mera protestatione, sed actione positiva et efficaci malis mederi debemus. Ne in hac re magni momenti ab acatholicis superemur, providere debemus organizatione huius rei, qua nunc adhuc caremus. Etenim licet theoretice uniti sumus, practice in plurimis misere soli sumus. Per unionem inter Congregationes haec organizatio institui potest, ope Secretariatuum et unionum, si centra eriguntur quae cum aliis bonas picturas, quae multae in America fiunt, comunicant eosque edoceant de iis quae in hac re alibi bene fiunt. Quod ad saltationes attinet, experientia constat eas prudenter et caute directas, valde utiles nonnumquam esse ad matrimonia mixta impedienda. Contra quae inutiliter contionabimur, nisi iuvenibus nostris occasio praebetur puellas catholicas videndi. Saltationes non quidem in sectionibus instituendae sunt, sed per viros solide in Congregatione formatos curandae ut honeste fiant.

P. Jollain: Non est quaestio de *sport* omnino abolendo, sed id inquirimus quatenus huic inclinationi in Congregationibus sine veri earum spiritus detrimento indulgeri possit vel debeat. Condiciones variarum nationum omnino diversae sunt. Neapoli v. g. nemini in mentem venit Congregationem sectionem saltationum habere posse. Nonne stultum esset, si talem nos ibi inducere vellemus? Itaque unaquaeque natio diiudicare debet quid sibi in genere recreationum conveniat sine pietatis detrimento. Ex altera parte necessarium est ut *sport* colamus, quia alias in Italia v. g. boyscout sine religione nobis tollunt iuvenes nostros; neque his exercitiis corporalibus moderate adhibitis spiritus internus detrimentum accipit; Neapoli habemus Congregationem puerorum, qui excellunt ludis, simul autem praestant solida pietate.

Conclusiones.

A. R. P. Generalis: 1°. De recreationibus. Ex discussione ipsa manifeste apparet rem esse maximi momenti in omnibus regionibus et necessarium esse, ut clara principia de ea habeamus. Spero nos posse brevi communicare aliquas directiones generales: nam ad singula descendere, pro maxima varietate in variis terris, impossibile esset atque potius noceret.

Dubium non est posse esse in Congregationibus recreationes honestas, sed sectiones mere sportivae non sunt admittendae; haberi tamen possunt sectiones ad curandas recreationes honestas ut prohibeantur peccaminosae. Recreationes congreganistis praeberi possunt sive in propria domo sive alio loco congruo; cavendum tamen sedulo erit, ne spiritus quidam effusionis in Sodalitatem irrepat. Magna mo-

deratio adhiberi debet et praecipuum nostrum officium est in Congregationibus informare sodales ad solidam pietatem.

2. De saltationibus unum tantum exemplum velim adducere ex quo perspici potest ad quid sodales nostri, bene formati, valeant. Cum anno superiore consociatio eorum qui olim Scholam illam Polytechnicam Parisiensem frequentarant, socios invitaret ad saltationem quotannis haberi solitam, plurimi discipuli eiusdem scholae, a Patribus nostris bene formati, aperte declararunt se non adfuturos nisi a programmate removerentur aliquae saltationes inhonestae, quas paulo ante Archiepiscopus Parisiensis reprobaverat. Organizatoribus saltationis nihil reliquum fuit quam ut optimorum iuvenum voluntati morem gerentes programma mutarent.

3. De operibus. Congregationes ne nimiae sint in operibus externis quamvis bonis, suscipiendis. Si numerus sectionum debitam mensuram excedit, pax Congregationis facile turbatur febrili quadam activitate.

4. Cum debita moderatione recreationes promoveri debent. Ipse quidem permisi ut in urbe Buenos Aires aula fabricaretur ubi iuvenes honeste recrearentur. Ibi enim summum periculum est ne societates protestanticae catholicos attrahant eisque ingens damnum inferant. Sed cauti in his omnibus procedere debemus.

De cinematographo Episcopus quidam mihi dixit se in visitatione pastorali bonos films secum portasse, eosque ostendendos curasse ut, saltem per dies quibus ipse in paroecia aderat, incredibiles tentationes et occasiones peccandi removerentur. Nunc sub directione cuiusdam Nostri qui historiam S. Francisci Xaverii apprime callet, vita huius sancti cinematographice excipitur. Magna vero cautione opus est praesertim in saltationibus permittendis.

5. In externis ad sectionem quandam Congregationis admittendis aliqua libertas quidem concedi potest, sed magna cautione procedendum erit, quia sic Congregatio sponsorem se constituere videtur pro iis quae ab externis in sectione illa fient. Potius praeferendum ut Congregatio quidem incipiat tale opus cuius necessitas urget, sed extra Sodalitatem, idque cum semel solide constitutum sit aliis relinquat.

II. « *De modo promovendi Congregationes et de praecipuis difficultatibus* ». Relatio P. QUIRICO.

Difficultates ex multiplici capite oriri videntur.

I. *Ex opinione, quae de Congregationibus habetur inter plures catholicos.* — Plures enim aperte hoc aiunt quod : 1. Congregatio est sodalitas, quae solum pietatem fovet; 2. Est restricta ad pueros et ad

puellas, et mulierculas ; 3. Propter constitutionis modum et traditionem ipsam non iuvat ad efformandum virilem morem ; 4. In pluribus locis Congregatio neque ipsum respectum humanum a sodalibus aufert, qui opera pietatis implent in proprio sacello, et aliquando implere erubescunt in publicis templis ; 5. Congregatio non multum confert ad progressum actionis catholicae his temporibus tam necessariae ; 6. Habet nomen antiquatum, commune confraternitatibus; 7. Non gaudet magna extimatione neque est apta temporibus modernis.

Occasionem hisce difficultatibus, quae sunt omnino exaggeratae, dederunt certe rationes agendi tum nonnullarum Congregationum, tum etiam Directorum. At responsio facilis est; habeatur clarus et genuinus conceptus de natura Congregationum; in iis regendis bene se gerant Directores tum nostri tum externi; et Congregationes fructus uberrimos, omnino contrarios finibus illis, quos obiectiones exprimunt, certe dabunt. Potest etiam plene omnino difficultatibus responderi, exempla offerendo, optima omnino, plurimarum Congregationum ubique terrarum existentium.

II. *Ex conditione speciali iuvenum et virorum et ipsarum mulierum nostri temporis.* — 1. Pueri elongantur a Congregatione quia in ea non inveniunt recreationem ipsis necessariam et ex corde optatam ; 2. Iuvenes non experiuntur in Congregatione adesse activitatem sive catholicam sive socialem suis desideriis respondentem ; 3. Alii adolescentes autem a Congregatione abhorrent propter nimiam inclinationem ad commoda et voluptates ; 4. Viri non possunt ad functiones proprias Congregationis attendere tum quia nimis diuturnae sunt et frequentes, tum quia in diebus dominicis et festis malunt cum familia morari ; 5. Ipsae mulieres plures difficultates pro amplectenda Congregatione obiiciunt, praesertim quod solum addicta sit pietati et parum foveat activitatem socialem et culturae et charitatis.

Fatendum est plures inter has difficultates revera graves esse et graviores fieri propter modum agendi illorum Directorum, qui Congregationem tanquam meram piam confraternitatem concipiunt. Media tamen sunt aptissima ad obiectiones solvendas ; potest enim recreatio quaedam cum ipsa Congregatione coniungi, possunt optime per sectiones opera culturae et charitatis promoveri et ipsa opera socialia modo iam clare explicato in hoc ipso congressu ; si difficultas sit pro functionibus in diebus festis et dominicis, possunt optime conventus haberi aliis diebus et vespere, neque necesse est ut crebro habeantur, neque ipsae functiones, praesertim tam frequentes, necessariae sunt ad essentiam Congregationis.

III. *Ex conditione aliarum societatum catholicarum.* — In pluribus nationibus tantum incrementum obtinuerunt nonnullae societates catholicae, tamque bono spiritu et religioso imbuuntur ut iam non appareat necessitas neque magna utilitas Congregationum Marianarum. Exemplum duci potest ex Italia, ubi Societas Iuventutis Catholicae amplectitur plus quam 6000 circulorum et 400,000 sociorum iuvenum, et Unio Foeminea Catholica Italica in suo sinu complectitur, praeter 200,000 mulierum catholicarum, fere 300,000 puellarum catholicarum. Tum adolescentes, tum puellae harum societatum cum magna diligentia incumbunt simul et in opera pietatis et in opera charitatis et socialia, ita ut parochi iam non experiantur desiderium et necessitatem Congregationum. Quod autem dicitur de Italia, dici posset de nonnullis aliis nationibus.

Praedicta obiectio pondus vere immensum praesefert et in praxi impedit in pluribus locis novam Congregationum propagationem. Ius tamen Congregationes habent vivendi, atque fructus omnino speciales edere possunt, qui ex aliis societatibus non obtinentur tam directe; Congregationes sunt gratiis plurimis ornatae a Sancta Sede, experientiam saeculorum praesefere possunt et inter sodales exempla praeclara sanctitatis.

Si efficax aliqua Congregationum organizatio efformetur, si bene promoveantur et foveantur Congregationes, ex Congregatiobus auxilium non damnum obtinebunt societates novae et amice cohaerere poterunt.

IV. *Ex conditione cleri saecularis.* — Qui videtur esse aliquando Congregationibus contrarius, vel etiamsi sit bene affectus, nimiis occupationibus distinetur et fortasse etiam quandoque parvo zelo animarum movetur. Magna cura impendatur ut clerus saecularis Congregationes bene cognoscat et modum practicum eas dirigendi; ita certe bene affectus erit, ut de pluribus sacerdotibus accidit, et Congregationes diligenter promovebit. Ad hunc finem obtineatur Episcoporum benevolentia et zelus cleri excitetur.

V. *Ex conditione Superiorum nostrorum.* — Nonnulli inter Superiores Societatis, Congregationem non bene noscunt, ac proinde de iis parum curant, et non bene aptos seligunt directores, et quos seligunt non satis adiuvant neque moraliter neque materialiter. Plerique ex Nostris non multum afficiuntur vero affectu erga Congregationes, et inter non paucos spiritus quidam individualisticus adesse videtur, ita ut aliquando opera nostra multo magis ab externis quam a Nostris existimentur et adiuventur.

Inter omnes difficultates quae respiciunt promotionem Congregationum, maxime ea est, quae oritur ex parva et inexacta notitia de Congregationibus, praesertim si ea in iis invenitur, qui praesunt. Exercitus sumus et in exercitu fere nihil iuvat virtus et habilitas militum, si non praecedat iussio apta et prudens ducis. Si duces non dirigunt vel non bene iubent, bellum certe infelicem exitum habebit, etiamsi milites optimi sint. Haec forte est praecipua ratio cur in quibusdam nationibus, et praesertim in Italia, maximo damno Congregationes affectae sunt. Optandum proinde ut haec difficultas omnino perimatur et Superiores magni faciant tum theoretice tum practice Congregationes.

Relatione peracta, tempus defuit ad discussionem faciendam et Praeses sessioni finem imposuit.

SESSIO V.

PROGRAMMA: *De relatione Congregationum cum aliis Societatibus.*

P. PRAESES: Discussio de quarto capitulo schematis, nempe *de modo promovendi Congregationes et de praecipuis difficultatibus*, quod heri vespere P. Quirico exposuit, omitti posse videtur, non solum quia tempus aliquantulum urget, sed etiam quia praecipua difficultas quae oritur ex multitudine societatum similium nunc venit tractanda.

Audiamus ergo statim P. Mischler qui aget: *De relationibus Congregationis ad alias societates.* Est caput. III nostri conspectus.

P. MISCHLER, Relator: *Principia generalia:*

1. *Opera zeli apostolici Congregationibus necessaria sunt* et ideo in quantum fieri potest singulae Congregationes talia opera in proprio coetu ope Sectionum promoveant.

Sed difficultas ex eo oritur, quod nunc in multis regionibus consociationes constitutae sunt, quae independenter a Congregatione ista opera jam promovent et locum praeoccupant.

2. Ideo Congregationes aut eligant *aliqua opera*, quae *ab istis associationibus non exercentur*, aut in sinu Congregationis forment *sodales ferventes, qui iis societatibus dent nomina* et earum operibus ut membra selecta imo ut veri duces collaborent.

3. Quamvis desiderandum sit, ut Congregationes praesertim juvenum qui de Congregatione volunt gloriari, opera propria zeli apostolici habeant, tamen interdum optimum erit *collaborare cum aliis societatibus*, nunquam vero cum eis concurrere aut vanam competitionem facere.

Specialia et practica. — A) *Relatio ad tertios Ordines:*

1. Quamvis Congregatio non sit tertius Ordo Societatis Jesu, praebet tamen omni christiano media optima, fortia, efficacia ad perfectionem christianam attingendam.

2. Ideo nulla ratio afferri potest cur sodales etiam membra tertii Ordinis esse debeant. Si hoc tamen alicubi obtinet, certe tolerari potest.

3. Relatio Congregationis qua talis ad tertium Ordinem fere ubique optima est et si Directores prudenter procedunt, nullam difficultatem praebet.

B) *Relatio ad Conferentias S. Vincentii a Paulo:*

1. Natura Congregationum et ipsa historia utriusque associationis manifestant optimas relationes collaborationis et caritatis inter Sodalitates et Conferentias, quippe quae a sodalibus ortum sumpserunt et eundem spiritum ac Congregationes servaverunt.

2. Igitur Conferentiae semper a sodalibus seu intra seu extra Congregationes promovendae sunt.

C) *Relatio ad coetus Juventutis Catholicae et Unionis Studiosorum:*

1. Licet in pluribus Congregationes similitudinem quandam praebeant cum his coetibus, tamen aliqua discrimina sunt notabilia:

a) hi coetus admittunt omnes adolescentes, qui volunt esse boni christiani. Sodalitas a sodalibus exigit ut studeant perfectioni vitae christianae;

b) hi coetus pari studio tendunt ad diversos fines, pietatem, laborem, activitatem. Congregatio vero ut sodalitium religiosum primas partes pietati concedit;

c) in illis coetibus socii ipsi exercent auctoritatem, suos officiales eligunt, seipsos regunt. Sacerdos est merus assistens ecclesiasticus. In Sodalitate sacerdoti ut Directori competit magna auctoritas, licet in praxi tali summa potestate quam rarissime utatur;

d) hi coetus maximam vim in activitate externa, sociali, culturam promovente ponunt, quae aliquando nimia et quasi febrilis videtur. Congregatio e contra vitam internam prae ceteris colit, pacem, recollectionem animi fovet, ex quibus tamen activitas quaedam bene fundata et ordinata ad extra redundet necesse est.

2º Cum his coetibus varii agendi modi adhiberi possunt:

a) sunt coetus, qui sub *forma verae Congregationis* constituti sunt et fines Congregationum prosequuntur. In iis hoc valde curandum est ut sacerdos sit verus director et pietas praeprimis colatur;

b) multis in locis intra hos coetus pro electis sociis fundata est Congregatio. Circulus curat praesertim de labore et activitate, Congregatio potius de pietate et est quasi *nucleus pietatis* centralis in medio circuli;

c) existunt etiam Congregationes, quae optima *membra complurium circulorum*, praesertim officiales, ut sodales habent, eosque diligenter formant et spiritu apostolico imbutos in circulos mittunt;

d) aliquando Congregatio potest esse *membrum seu sectio quaedam unionis.* Ad hoc autem requiritur ut sit in se perfecte constituta et habeat sua opera bene organizata;

e) nulla difficultas in eo videtur, quod Congregatio vel foederatio Congregationum se coniungat cum unione iuventutis, regionali vel nationali, dummodo suam propriam formam et sua statuta conservet.

D) Relate ad *Societatem Sancti Nominis* quae in America septentrionali existit haec sufficiunt: Omnes viri catholici etiam minus fervertes in hunc coetum admittuntur, dummodo velint blasphemias ceteraque peccata linguae vitare. Clarum est inter hunc coetum et Congregationem nullam esse difficultatem, Congregationem autem posse magis ferventes illius coetus colligere et ad munus apostolicum efformare.

At praecipuum punctum discussionis erit relatio Sodalitatis ad uniones iuventutis catholicae. Mirum est, quantopere hae uniones in nonnullis regionibus brevi tempore creverint. Et tamen Congregationes bono iuventutis nostrae melius quam istae uniones consulere possunt. Per plura enim saecula experientia compertum est, huic operi eas non esse impares.

Per suam solidam disciplinam internam, per intimam connexionem cum Ecclesia, per traditionem et experientiam saeculorum, quam possidet, per media et naturalia et supernaturalia, quibus instructa est, per exempla praeclara, quae Congregatio habet in tot Sanctis, in imitatione B. Mariae Virginis ejusque Filii unigeniti, Congregatio omnibus aliis unionibus fortior erit. Illae peribunt, Congregatio manebit et fructus suos edet saluberrimos, dummodo retineamus ejus finem sanctum et media ad necessitates et hominum et temporum adaptemus.

Praeses: Nunc desiderat aliquis e Patribus Delegatis de prima paragrapho verba facere?

P. Ersin: Verba « hae autem Sodalitates... quae tantum sodales suos ut collaboratores in alias societates mittunt, certe vita propria

perfecta non gaudent », quae in num. 4, pag. 9 « Brevis Conspectus » leguntur, eliminanda vel mutanda esse videntur. Congregatio imbuta sit spiritu apostolico et hunc exerceat per opera externa, non tamen necessario per Congregationem ut talem, quia possunt esse circumstantiae in quibus hoc fieri nequit : sed tunc dicere Congregationem non habere vitam propriam esset nimis durum.

P. van Ruth : Provisum iam est difficultati quam P. Ersin proponit, quia dicitur : « quotiescunque fieri potest ».

Praeses: P. Ersin timet ne tali Congregationi inuratur aliqua nota.

A. R. P. Gen. : Res potest paulisper mutari. Quae nunc impressa sunt, sunt solum aliquod schema quod non imponitur, nihil aliud. Si Congregationes propter externa adiuncta impediuntur, quominus ut tales agant, possunt tamen membra non solum personaliter in talibus operibus occupari, sed etiam ut membra Congregationis, si scilicet res antea discutitur in Congregatione et ita tota actio a Congregatione dirigatur. Ita sibi etiam quodammodo satisfaciunt, uti dixit P. Mischler.

Praeses : Est et alia difficultas quoad ea quae dicuntur N. 3°. Opera enim quae nondum sunt occupata ab aliis generatim non videntur esse nisi secundaria ; verba proinde cum mica salis accipienda sunt.

Transeamus nunc ad § 2. *De relationibus ad tertios Ordines.*

Suntne aliqua animadvertenda circa hoc punctum.

P. Ersin : Principia quae ibi proferuntur, theoretice mihi multum placent. Practice autem non aptum videtur, saltem pro nostris regionibus, tertiarios recipere in nostras Congregationes. Ratio est, quod hae duae institutiones mediis diversis ad eundem finem obtinendum utuntur ; quod inutile, immo nocivum esse mihi videtur. Neque enim congregatus facile obligationibus utriusque unionis satisfaciet ; quare aut unam aut alteram deseret. Praeterea, si alicubi habentur processiones vel similes sollemnitates, una et altera associatio desiderat ut sua membra participent, tamquam sua membra non ut membra alterius unionis. Nihilominus censeo praescriptum hac in re non esse faciendum, quod tertio Ordini odiosum esset. Sed moderator Congregationis ab eo, qui recipi vult, quaerat, num iam aliis associationibus nomen dederit. Certior factus eum esse membrum tertii Ordinis, amanter ei dicat, iam omnia eum habere, quibus desiderium suum perfectius vivendi explere possit et sic eum dimittat.

P. Stejskal : Tertiarii, qui simul membra Congregationis sunt, fere semper, si conflictus habetur, tertium Ordinem praeferunt. Quare melius omnino est eos non recipere in Congregationem.

P. Bùs : Apud nos haec difficultas soluta est ; Tertiarii enim Congregationi nomen dare vetantur.

P. van Ruth : Nos Batavi experti scimus Tertiarium numquam esse bonum sodalem marianum, quia non satis amat Congregationem. Hoc inde evenit, quod sacerdotes a pulpito sacro docent Congregationem inferiorem esse tertio Ordini.

P. Villaret : Notare velim in nostra Provincia, in magna urbe Roubaix, Patres nostros consultius judicasse cum tertio Ordine non contendere : hinc nonnumquam viros dirigunt ad tertium Ordinem. Res bene processit. Habetur consensio, immo factum est in quibusdam locis ut nostri Patres dirigerent tertium Ordinem.

P. Ramirez : Quoniam adiuncta in diversis Provinciis sunt diversa, proponerem ut res relinquatur ut est in N. 2, quia dat libertatem agendi secundum diversa adiuncta. Clare video difficultates propositas a P. Ersin. Sed quia saepe saepius homines pii sunt pauci, si omnibus tertiariis ianuam claudimus, minuimus numerum congreganistarum. Res ergo videtur potius componi debere per Directores.

Praeses : Quid censent Patres Delegati de secundo puncto (N. 2, *b*) i. e. *De relatione cum Conferentiis S. Vincentii ?*

P. Ramirez : In Italia plurimae Sodalitates habent proprias sectiones pro illis operibus caritatis, quae a Conferentia S. Vincentii dependent.

A. R. P. N.: Bonum est si ita fit. Nihil nocet Congregationi si sustineat Conferentiam S. Vincentii, etsi sit aliqua dependentia.

P. Praeses: Cum nihil addendum sit de Conferentiis S. Vincentii a Paulo, transeamus iam *ad relationes cum Coetibus Juventutis Catholicae et Unionis Studiosorum.*

P. de Guibert : Apud nos in Gallia difficultas est haec, quod directores unionum iuventutis dicunt : « Nos iam habemus selectionem, et sat multum requirimus ab associatis. Quare Mariana Congregatio omnino superflua est ». Praeterea, ruri praesertim, ubi Congregationes fere pro puellis tantum existunt, adolescentes congreganistae fieri nolunt. Quaestionem igitur ponunt: Potestne fieri ut aliqua unio re sit vera Congregatio Mariana, etsi non nomine ?

Non levem difficultatem creat quod is, qui in unione iuventutis mere consiliarius assistens est, in Congregatione intra unionem exsistente verus moderator et rector sit.

A. R. P. N.: Valde doleo quod P. Corbillé, Praeses Generalis Juventutis Catholicae in Gallia, consessui interesse non potuerit. Pauca dicam ex iis quae cum ipso egi. Non pauci ex nostris Patribus opina-

bantur Associationem iuventutis esse idem atque Congregationem. Sed nos hic aliter sentiebamus. Verum est in Gallia in illa Associatione haberi principium selectionis ; nihilominus etsi eius membra sint optima et frequentissime accedant ad Sacramenta, est associatio socialis quae rebus etiam saecularibus se immiscere debet. Congregatio vero est associatio religiosa. Nunc ab ipsis iuvenibus sentitur necessitas alicuius associationis mere religiosae et, quia apud nos eam non inveniunt, cogitare incipiunt de tertiis ordinibus. Debemus de hac re habere clara principia praesertim cum S. Sedes nunc ubique illam associationem iuventutis urgeat. Edetur de hac re brevis aliqua epistola.

P. ROSTWOROWSKI : Velim petere declarationem authenticam, qualis sit relatio nostrarum Congregationum ad Congregationes Marianas quae diriguntur a PP. Lazaristis.

A. R. P. N.: Nulla est relatio.

P. ROSTWOROWSKI : Possuntne invitari ad Congressum Congregationum ?

A. R. P. N.: Negative. Sunt aliae Congregationes etiam primariae quae cum nostris nihil habent commune, v. g. Societas Filiarum Mariae a S. Agnete in Italia. Sed sunt magna ex parte pro solis puellis et solum in aliquibus regionibus. Iuridice res est clara. Nulla est relatio. Quapropter in prima pagina conspectus nostri, inscripsimus titulum « Congregationes Marianae *Primae Primariae Collegii Romani aggregatae* ».

P. QUIRICO : Talis est progressus Juventutis Catholicae ut nunc difficile et in multis regionibus fere impossibile sit propagare Congregationes. Circuli Juventutis Catholicae optimo spiritu afficiuntur, habent sua exercitia religiosa, imbuuntur spiritu ecclesiatico et in dies crescunt. Anno 1900 erant 100 circuli, nunc sunt plus quam 3000 circulorum et plus quam quadringenta millia (400.000) sociorum. Crescit etiam Iuventus Catholica foeminina, quae tribus annis supra tercenta millia (300.000) sodalium enumerat, quae ducuntur optimo spiritu pietatis et actionis, et nunc gaudent maxima benevolentia parochorum. Hinc maxima difficultas in propagandis Congregationibus. Si quod nunc fit a nobis in hoc conventu, factum fuisset ante decem annos, res aliter se haberet pro Congregationibus. Nunc, saltem magna ex parte, in Italia Congregationes bello victae sunt ; ad eas servandas et multiplicandas occurreret maior conatus et minor erit fructus.

P. GARAGNANI : Videtur posse conciliari Congregatio cum circulis Juventutis Catholicae si utrumque institutum secundum proprias leges parallelo modo floreat in juvenilibus coetibus a Nostris directis. Bonum videtur ut assistens ecclesiasticus circuli sit etiam Director Congregationis et habeat, etsi non eandem potestatem atque Director, tamen maiorem quam simplices assistentes. Praeterea assistentes circuli deberent nominari, iuxta statuta, quae tamen sunt ab Episcopo approbanda, a nostris Superioribus. Praecavendum est periculum, si in eodem loco sint Congregatio et Circulus Iuventutis Catholicae, ut tota activitas externa sit in circulis et Congregationi non relinquatur nisi pietas. Huic occurri potest eo quod Director qui debet etiam esse assistens ecclesiasticus circuli ita dirigat circulum ut det Congregationi ea omnia quae sunt eius propria et relinquat circulo partem socialem externam. Activitas, praesertim in operibus pietatis, charitatis et zeli, debet dari Congregationi secus haec apparet ut mera associatio pietatis. Ut tranquilla et foecunda collaboratio haberi possit inter Congregationes et circulos, valde opportunum est ut conventio quaedam fiat particularis, practica et stabilis, ab iis qui utrique foederationi vel secretariatui nationali praesident.

P. PRESTIFILIPPO : Messanae habemus Congregationem et simul circulum, omnia opera quae a Congregatione fieri deberent, opera zeli, caritatis, etc. fiunt a circulo cuius membra praestantiora simul sunt congreganistae. Idem deinde est praeses circuli et Congregationis. Hoc modo practice, etsi non theoretice, difficultas solvitur. Non possumus omnia opera praeter socialia circulis demere, quia plura, ne dicam omnia, ad programma eorum pertinent. Ideo solutionem auctoritativam a R. P. Generali peto. Nonne melius est Directorem Congregationis esse etiam Directorem circuli et membra Congregationis active concurrere in operibus circuli ita ut appareant ut opera Congregationis et circuli ?

P. FIOCCHI : Audivi a directoribus Provinciae meae desiderium ut nostrae Congregationes, ut sunt, agnoscantur ut foederatae circulorum Iuventutis Catholicae, si P. Generalis hoc vult permittere. Si hoc fieret nostrae Congregationes haberent tamquam Assistentem ecclesiasticum suum Directorem, haberent omnem suam activitatem sive internam sive externam directam a directore proprio. In manifestationibus publicis deberent induere insigne Iuventutis Catholicae et solvere taxam.

P. FORETIĆ : Si Congregationes aggregantur circulis, fiunt aliqua res politica quia circuli aliquando de politicis agunt.

P. FIOCCHI : In quibusdam congressibus seu manifestationibus aliquid politicum actum est, *contra tamen statuta* ipsius associationis Iuventutis Catholicae et opera quorumdam moderatorum particularium. Hoc incommodum prorsus est vitandum et facile vitari potest

a prudenti Directore Congregationis. Ipsa Associatio Iuventutis Catholicae in Italia non habetur ut politica.

P. Revello: In solutione Patris Fiocchi duae difficultates remanere videntur. Prima est, quod Congregatio dependens est ab alia unione. Altera, quod in nostra Congregatione multi adolescentes sunt, qui propter aetatem in circulum recipi nondum possunt. Idcirco Congregationes, qua tales, non videntur posse aggregari vel foederari Associationi Iuventutis Catholicae; ceterum iste foederationis modus nimis pateret quam par est. Insuper sub quo nomine «Congregationis» aut «circuli» manifestari et cognosci deberent?

Apud nos solutio practica habetur eo quod intra Congregationem existit circulus, cum propriis statutis, ab Episcopo approbatus. Restat quaestio: num in hunc circulum recipi possunt etiam non-congreganistae, num taxam solvere conveniat et in quibus hic circulus aequiparari deberet ceteris circulis? Quod ad quaesitum spectat, num praestet eundem esse assistentem circuli et moderatorem Congregationis, responsum affirmativum amplectendum videtur, quippe quod multas difficultates solvit: nempe unus Pater sit director et assistens. Ceterum, quaecumque demum sit solutio quae prouti melior amplectenda videatur, bonum esse duco (ad conflictus vitandos) obtinere ab organis directivis, seu Praeside Generali Foederationis Iuventutis Catholicae, ut in statutis generalibus, quae nondum confecta sunt, inferatur quoddam veluti comma, seu articulus, ex quo clare appareat quaenam tandem foret conditio, ut ita dicam, iuridica Congregationum Marianarum, seu circulorum in Congregationibus insertorum, relate ad foederationem Iuventutis Catholicae et vicissim, necnon privilegia, exemptiones, independentia; quibus certe omnibus, ut par est, gaudere deberent circuli in Congregationibus inserti, respectu circulorum qui omnimodam dependentiam et directionem habent ab organizatione Iuventutis Catholicae.

Praeses: Nostrum non est difficultates mere regionales solvere.

P. Ayala: Apud nos uniones iuventutis nunc solum formari incipiunt, sed cum hucusque omnes associationes iuventutis Congregationes fuerint, nullam difficultatem habuimus.

Episcopus aliquis hispanus putavit uniones illas non esse condendas, ubi iam sit Congregatio Mariana.

In Hispania desiderandum foret ut Ecclesiastica Auctoritas declararet, Iuventutem Catholicam non nisi ex Sodalibus, ubi Sodalitas Mariana praeexistat esse constituendam: nam iuvenes iam efformati optimi essent pro illo opere incipiendo. Ita dissidia vitarentur; nam cum optimi iuvenes sint etiam Sodales, si Sodalitatem relinquant ut Iuventutem constituant, magnum illa damnum subibit; qui enim ad novum coetum attrahuntur, veterem praetermittunt vel tepidius prosequuntur. Ubi vero Sodalitas accedat, constituta iam in coetum Iuventute Catholica, amice inter se directores rem componant.

P. Ramirez: Apud nos, in republica mexicana, difficultas magna inde oritur, quod plures Congregationes multum efficientiae et splendoris amiserunt ex quo ortae sunt Uniones Iuventutis et hoc quidem non ex natura rei, sed propterea quod adolescentes pietati tantum colendae Congregationes inservire arbitrantur, ipsi autem desiderant opera activa, externa, socialia. Quare eis valedicunt. Praeterea dicunt iuvenes se opera pietatis et religionis iam in coetibus exercere, ideoque opus non esse ut Congregationes ingrediantur: cumque Uniones illae multa bona operentur «Ecce fructus boni Unionum, inquiunt; Congregationes autem nihil faciunt!». Ita factum est ut, fere omnes Congregationes pueris constituantur: adolescentibus et iuvenibus nonnisi tres vel quatuor.

Dein faciliora et leviora sunt iuvenibus opera pia et obligationes coetus Iuventutis Catholicae quam obligationes Congreganistarum (v. g. non obligantur ad Communionem saepe accipiendam, ad missam coniunctim audiendam singulis hebdomadis). Ideo fit ut contenti sint cum facilioribus coetus Iuventutis et non exoptent nec petant opera praestantiora Congregationis.

Accedit quod membra illarum unionum religionem catholicam palam confitentur, quod Episcopi multum eis favent, imo etiam, practice saltem, aliqui ex nostris Patribus; et etiam aliqui ex Superioribus Societatis videntur magis unionibus favere quam Congregationibus. Quare a Patribus delegatis solutionem atque etiam ab A. R. P. N. auctoritativum responsum humiliter peto.

Arridet mihi potius solutio P. Delegati Siciliae, sed cum aliqua mutatione, scl. detur plena libertas Congregationi, quando coniungitur cum circulo, ut regatur propriis statutis. Dein praecaveatur periculum, ne imponantur a moderatoribus unionis Iuventutis Catholicae opera, quae politicam sapiant neque alias res nocivas vel periculosas Congregationibus offerant, de qua re iudicium deberet esse apud Directorem Congregationis.

P. Ersin: Quaestio agitata vere complicata est. Apud nos in Austria ratio difficultatis ea praecipue est, quod utraque unio constitutionem prorsus diversam habeat. Altera est monarchica, altera democratica, et ita non facile in unum conveniunt. Si solum singula mem-

bra dant nomen unioni, nulla est difficultas, sed tunc solum si Congregatio ut talis ad unionem accedit, et cum ea se coniungit. Ita enim aliquomodo regimini eius democratico subordinatur. Forte difficultas solvi posset, si Congregatio ea conditione cum qualibet associatione coniungatur, ut statuta Congregationis, spiritus, regimen, intacta maneant, quaecumque sint aliae relationes. Hoc tamen serio omnino urgendum erit, ne adolescentes eo deveniant, ut omnem potestatem sibi arrogent, quod maximo detrimento esset Congregationibus.

P. Correa : Existimo difficultates, modo indicatas circa relationes inter Congregationem et coetus Iuventutis Catholicae, brevi tempore fore ut urgeant in universa America meridionali. Nam in republica Chileno-Argentina et Uruguay iam formantur coetus Iuventutis Catholicae et, prout intelligo ipsi Nuntii Apostolici favent his consociationibus excitandis. Ideoque oporteret studere quomodo prudenter possint praeveniri vel componi hae difficultates.

P. Ramirez : Si Patribus prudens esse videtur, id petere velim quod est caput rei, videlicet declarationem authenticam, quid praestantius sit, quid nobis magis promovendum, utrum uniones coetus Iuventutis Catholicae, an Congregationes Marianas ? Existimo Congregationes a nobis magis esse promovendas, tum quia ex tota antiquitate sunt opera Societatis Iesu, tum quia magnus est earum fructus, ut apparet ex omnibus dictis in sessionibus praecedentibus. Sed, quoniam, aliqui ex Nostris, et etiam Superiores, *practice* videntur tenere contrarium, ideo humiliter rogo, ut quid de hac re sentire debeamus ab A. R. P. N. auctoritative universae Societati manifestetur : sic Provinciales et Superiores omnes poterunt melius rem dirigere ac componere.

P. Bùs: Nos quoque gravissimas difficultates propter illas uniones passi sumus, magnas lites habuimus. Unde illae rixae ? Inde quia volebant suo modo componere res suas et tamen unionem habere. Sodalitas volebat aliquid boni facere in associationibus et hae in Sodalitate et quidem nomine Congregationis aut associationis.

Difficultatem nos solvimus, relationem mutuam inter has associationes et Sodalitatem dissolvendo. Qua dissoluta etiam difficultas etiam tollebatur, Congregationes crescebant, uniones minuebantur. Unde patet oportere solummodo perseverare et Congregationes diligenter in bono promovere et, quam optime fieri potest, dirigere cum omnibus suis operibus, nullo pacto cum aliis inito ; sic difficultas etiam ab aliis videtur posse solvi.

Conclusiones.

A. R. P. N. Solum paucissima dicam. Res est summi momenti, sed valde intricata. Opus erit ut quaedam normae statuantur ad generales, non ad locales difficultates solvendas ordinatae. Possumus solum statuere principia ; quomodo applicanda sint ad singulos casus prudentiae Directorum et Superiorum relinqui debet. Evidens est Nostros Congregationes Marianas, opus proprium Societatis, primo loco promovere debere. Non dico debere magis promovere, quia S. Sedes desiderat ut etiam Iuventus Catholica promoveatur, sed possumus eodem amore illam complecti et tamen primo loco promovere Congregationes, quia S. Sedem iuvare debemus operibus nostris propriis. Istae associationes possunt quam plurimum iuvare Congregationes. Excludi debet perfecta unio. Ita semper a Patribus Generalibus responsum est et experientia monstravit standum esse huic decisioni. Quomodo aliqua unio fieri possit, in litteris mox dandis conabimur explicare.

SESSIO VI.

Programma: I *De relatione Congregationum cum aliis Societatibus (sequitur).* II *De foederatione et Secretariatu, praesertim de recta organizatione Secretariatus et de periodico recte edendo.* III *De futuro congressu.*

P. Praeses : Antequam transeamus ad expositionem sexti puncti, concludamus oportet discussionem de puncto quinto. Ne omittamus res quae pertinent ad Americam, cupimus audire aliquid de Societate Sancti Nominis in America septentrionali existente.

P. Tierney : Duae illae associationes tum fine tum mediis differunt. Societas Sancti Nominis non specialem spiritum internum, sed bonam vitam christianam tantum postulat. Ut medio specifico utitur devotione ad SS. Nomen Iesu. Statutis diebus, accedunt ad Sacramenta ; missa finita se ostendunt in plateis magna cum pompa. Sunt boni catholici, et hinc, mea quidem sententia, haec societas est apta prima candidatura ad Sodalitatem. Haec Societas Sanctissimi Nominis ut socios admittit qualescumque homines, minime vero selectos ; quod multi Episcopi et sacerdotes plurimi putent Congregationes virginibus puellisque tantum esse fundatas, et auctoritate sua alias societates praesertim societatem Sanctissimi Nominis adiuvent, magno eis nocumento est. Minime vero ipsa societas Sanctissimi Nominis (vel aliae societates) Congregationibus nostris detrimentum affert, cum bonas

habeat institutiones, eius socii promittant se reverentiam nomini Iesu debitam non neglecturos; variis in locis communionem semel in mense accipiant, semel in anno sollemnem processionem peragant, quae in omnibus reipublicae statibus divulgatur ephemeridibus; quare dicunt hanc societatem esse maxime pro ephemeridum notitia. In paroeciis sacerdotibus parvum saepeque nullum fert auxilium. Difficile est inter socios huius societatis habere viros optimos. Si tamen ex eius officialibus moderatores Congregationum futuros sodales sibi seligunt, haec societas nostris Congregationibus valde utilis esse potest.

Praeses: Accedimus ad punctum sextum: *de foederatione tum nationali tum internationali, id est de secretariatu et unione.* Audiamus Relatorem.

P. Garesché: Brevissime omnino, Reverendi Patres, rem tamen maximi momenti exponere debeo. Agitur enim de modo practico promovendi Congregationes per Secretariatus tum internationales tum etiam nationales et provinciales. Satis clare apparet necessitas et utilitas huiusmodi secretariatus. Etenim clare apparuit inter conferentias nostras, iam habitas, quantum desideretur principium uniformitatis, mutui auxilii, organizationis, cooperationis, informationis, vitae, energiae, propagationis, quod haberi potest per secretariatus bene organizatos atque directos. Opportunitas etiam nostris temporibus Congregationum bene organizatarum atque directarum summa est. Per multos annos fatendum est Congregationes pluribus in regionibus fuisse neglectas. Causa praecipua fortasse istius neglectus in eo invenitur quod nemo fuit in Provinciis qui curam specialem de Congregationibus promovendis haberet. Per multos annos desiderabatur tum Romae tum in Provinciis centrum quod informationibus colligendis, studiis faciendis, rebus novis proponendis et ordinandis praeesset.

Distinguendum est inter secretariatus, quos sat facile Superiores ipsi possunt instituere et uniones, quae indigent magna praeparatione et labore. Secretariatus fere ubique similes esse possunt, uniones variari debent secundum conditiones locales. Secretariatus ex paucis constat Patribus et aliis, unio est organizatio sat complexa et numerosa; secretariatus habet scopum divulgandi naturam, spiritum, scopum Sodalitatis, promovendi unitatem, edendi periodicum pro Directoribus, etc. et in genere offerendi auxilia practica Congregationibus. Hic clare dicendum est, uti videtur, secretariatum influxum suum exercere debere non auctoritate proprie dicta, sed auxiliis et suggestionibus praebendis. Auctoritatem exercere in sodalitates externas vix prudens esset, immo vix possibile. Sed adiuvando, suggerendo, res utiles praebendo ita potest allicere Congregationes uti influxui suo libenter sese submittant.

Nimis evidens est quantum desiderentur unio, uniformitas, cooperatio. Fere in unaquaque discussione carentia cooperationis apparet. Solae sunt Congregationes, separatae, suis viribus relictae. Directores saepius male instruuntur, saepius mutantur, proprium habent nonnunquam modum gubernandi, qui mutatur mutato Directore, et opera incepta relinquuntur. Mirum sane esset si organizatio tali modo relicta, bene se haberet. Congregatio tamen universalis est, capax magna faciendi.

Ut vere utilis esse possit Congregationibus totius mundi, talis sacretariatus debet optime Romae efformari. Magnum habet enim opus atque difficile. Etenim magna est nonnullorum de Congregatione Mariana ignorantia et incuria. Huic tanto malo mederi debemus. Quod tamen non nisi conatibus, aptisque remediis perfici potest.

Aptum vero remedium aliud non est quam secretariatus optime constitutus, personis aptis instructus, apta supellectili ditatus, ab omnibus tum Nostris tum externis, quibus cordi sint Congregationes Marianae, adiutus. Primum secretariatum internationalem Romae esse constituendum censuimus, quem postea secretariatus provinciales in unaquaque Provincia aut certe nationales sequantur. Quae enim ex centro Romano ad adiuvandas, promovendas, succurrendas Congregationes dimanant, debent a secretariatu Provinciali vel nationali in propriam linguam translata disseminari. Ab his etiam secretariatibus Provincialibus multum iuvari potest ipse secretariatus centralis, nuntiis, programmatibus, rebus quae de novo fieri possint, etc. quae ad breviorem formam reducta iterum ad secretariatus Provinciales redeant, ita ut omnes mutuum auxilium accipiant.

Nonnulla enim ita sunt communia et omnibus utilia, ut possint in centro romano lingua latina exarari et a centris Provincialibus in vernaculam linguam verti, nec necesse est ut singuli secretariatus de novo eadem sibi componant. Alia autem, quae requiruntur propter circumstantias locales, in ipsis locis ut patet componenda sunt. Evidens est ergo quomodo secretariatus generalis romanus et secretariatus provinciales sibi invicem auxilio esse possint, quorum primus uniformitatem, cooperationem, unanimitatem afferat, alii autem applicent, modificent, circumstantiis nationalibus atque localibus adaptent quae Roma accipiuntur.

Evidens est etiam tales secretariatus natura sua et influxu tendere in uniones Congregationum efformandas atque promovendas. Magna tamen cura hae uniones constitui debent, secundum circumstantias

locales, et proinde libertas plena reliquenda est quoad modum se constituendi. De modo ergo practico procedendi censuimus incipiendum esse ab instituendis secretariatibus tum hic Romae, tum in Provinciis singulis Societatis, tum in nonnullis nationibus. Hi secretariatus viam sternere possunt ad constitutionem tum singularum Congregationum tum etiam unionum.

Patres Delegati in Urbe congregati magno esse possunt adiumento ad hoc opus incipiendum, tum consiliis et iudiciis dandis, tum etiam auxiliis et subsidiis praebendis. Debet enim parari copia rerum in periodico edendarum, copia etiam pecuniae ad fundationem secretariatus parandam. Utile ergo omnino esset si Patres Delegati breviter indicarent, quid expectandum sit cooperationis cum tali secretariatu, tum ex parte Nostrorum, tum externorum in sua Provincia, quid respondendum difficultati quod vix habemus copiam virorum ad talia in singulis Provinciis peragenda, quaenam specialia suggerenda de hoc secretariatu tum internationali tum provinciali, num uniones statim institui debeant et quidem num pro solis Congregationibus Primae Primariae aggregatis.

DISCUSSIO : § I. *De utilitate secretariatus.*

Praeses : Si dicta bene intellexi, tres ponuntur quaestiones : cur, quid, quomodo. *Cur* debeat secretariatus stabiliri ? *Quid sit ?* Et *quomodo* distinguatur ab unione ? Non puto aliquam controversiam institui posse de necessitate aut utilitate talis secretariatus.

A. R. P. Generalis : Attamen mihi videtur inquirendum quid sentiant PP. Delegati de huius secretariatus utilitate.

Multi PP. Delegati dant signa approbationis.

P. Bús salutat hanc occasionem desideratam. Talis foederatio, inquit, certe apta et utilissima est et a multis desideratur. Si autem quis eiusmodi opus condere valet, sine dubio et de Societate Iesu et de Congregatione Mariana bene merebitur. Atque etiam necessaria est. Non enim ad hunc usque diem Congregationes sunt « acies ordinata », nec « terribilis » inimicis, quales esse deberent, si uno spiritu, et non pluribus, animatae unum corpus omnes efficerent.

A. R. P. N. : Patres ex America id etiam desiderant ?

P. Foulkes : Id non solum utile est pro Directoribus sed etiam pro Rectoribus et Provincialibus, qui non raro eligunt in Directores homines qui ad aliud inutiles sunt vel fere nullum amorem pro Congregationibus habent.

A. R. P. N. : Videntur omnes Patres utilitatem admittere. Et

revera, ut bene dixit P. Bús, sine unione Congregationes non sunt acies bene ordinata. Attamen res adeo utilis non facile executioni poterit mandari.

§ 2. *De distinctione inter secretariatum et foederationem.*

Praeses : Cum in aliquibus locis iam existant foederationes quin praecesserit secretariatus, Patres interrogo quanam ratione sine praevio secretariatu eiusmodi foederatio oriri potuerit.

P. Rostworowski : Respectivae Sodalitates fecerunt conventum et in illo conventu decreverunt tum unionem inire, tum, ut organum unionis, secretariatum creare.

Priusquam difficultatem quandam proponam, quae ad naturam instituendae foederationis plenius intelligendam pertinet, animadverto, mea quidem sententia, utilitatem, immo necessitatem centralis organi pro Sodalitatibus Marianis esse omnino evidentem. Puto etiam non modo utilissimum fore, sed esse conditionem, sine qua vita et activitas Congregationum evolvi recte nullatenus poterit, ut similes provinciales vel nationales secretariatus creentur in singulis Provinciis vel regionibus. Hoc tamen praemisso censeo ea, quae in schemate nobis proposito de discrimine secretariatus et unionis dicuntur nec satis clara esse, nec solido fundamento innixa. Dicitur e. g. secretariatum constitui a Superioribus Societatis, unionem a Congregationibus ipsis. Peto : curnam secretariatus necessario a Superioribus constituendus sit et non possit a sodalitatibus creari ? Dicitur secretariatum debere solis sacerdotibus constare: Peto: quidnam obstet quominus e. g. aliqui Praefecti Congregationum in secretariatum cooptentur ? Dicitur, secretariatum non cum auctoritate Sodalitates dirigere, sed eas potius de rebus Congregationum edocere : Equidem puto et ipsam unionem, qualiscumque sit, proprie dictam iurisdictionem in Sodalitatis secretariatum exercere non posse. Dicitur secretariatum esse viam ad unionem: Peto: cur secretariatus non possit aliquando *fructus* unionis censeri et esse, si Congregationes mutua unione centralem secretariatum constituant ? Certe in Polonia plures professionales Sodalitatum foederationes suos iam secretariatus efformarunt, qui optimo cum fructu efficientiam Sodalitatum promovent.

Relator P. Garesché: Cum haec scripsimus, non erat propositum nobis omnia nominatim dicere quae ad rem pertinerent neque cum auctoritate unam agendi rationem, ceteris exclusis, definire. Voluimus potius ea suggerere quae magis ad usum apta in praesenti statu Congregationum viderentur, ita ut modus procedendi practice

ad formandum tum secretariatus tum etiam uniones definiretur. Cum dicitur secretariatus fieri a Superioribus Societatis, uniones vero a Congregationibus ipsis, quod communiter fit, spectatur. Nullo modo autem voluimus negare secretariatum posse etiam a Congregationibus constitui. Iterum non dicitur secretariatus constare *solis* patribus et sacerdotibus saecularibus, immo sacerdotum mentio non excludit possibilitatem etiam includendi praefectos nonnullos. Item non diximus unionem exercere auctoritatem proprie dictam in Congregationes. Immo in discussionibus nostris, post longam deliberationem hac de re, posuimus verba : « Comitatus directivus unionis vel foederationis dirigit cum *ea potestate* quam vi statutorum debite approbatorum accipit ». Si ergo unio non accipit iurisdictionem vi statutorum debite approbatorum, iurisdictionem exercere non potest. Respondendum etiam secretariatus posse in nonnullis casibus esse fructus unionis. Attamen voluimus loqui de communiter contingentibus et viam sternere ad eam organizationem, quae magis consona sit conditionibus generalibus. Licet enim in nonnullis locis aptius possit unio primum organizari et postea secretariatus, ope unionis, tamen plerumque multo facilius secretariatus institui potest a Superioribus, quam unio a Congregationibus organizari.

Addere velim in Statibus Federatis uniones Congregationum a nobis institutas, uti dicitur in primo volumine Memorabilium S. I., initium habuisse ante secretariatus dioecesanos. Sed experientia constat securius et tutius uniones fieri, si iam adest secretariatus localis seu diocesanus, qui formationem unionis dirigere possit.

A. R. P. N. : Fortasse concedi potest non omnia ita clare expressa esse, ut Patres fecissent si plus temporis habuissent. Sed res in se clara est. Exemplum sumendum est ab iis quae ubique fiunt. Cum anno praeterlapso in Congressu Iuventutis Catholicae quaestio esset an facienda unio, multi erant contra unionem sed omnes admittebant secretariatum. Unionem non possumus facere, sed secretariatum possumus instituere, qui omnibus suum auxilium offert. Puto omnes Patres in eo convenire a secretariatu incipiendum esse.

Quaestio est, quomodo debeat esse Romae, in Provinciis et quales relationes inter secretariatus intercedere debeant.

P. Rostworowski : Quum difficultatem praedictam proposui, id non ea mente feci, ut necessitas secretariatuum revocetur in dubium, sed ne videatur unam tantum rationem istos secretariatus constituendi, ceteris exclusis, commendari. Videlicet ad unionem seu confoederationem Congregationum duplex via ducere potest. Alia procedit e centro ad peripheriam, si nimirum *per Superiores* creantur centralia organa informativa, quae deinde organa unionis fiant. Alia via procedit e peripheria ad centrum, si nimirum *Congregationes ipsae* centralia organa sive professionalia sive nationalia sibi creant, quae deinde altiorem unionem inire possint. Vellem itaque ut *utraque* via vel adhibeatur vel saltem declaretur possibilis et ut, nostro modo loquendi, non videatur solum commendari via ducens e centro ad peripheriam. Creentur itaque a Superioribus tum centralis secretariatus tum secretariatus provinciales : nihil hac re optatius, sed si alicubi iam existunt secretariatus ab ipsis Congregationibus instituti, nolim ut ista initia unionis, iam bene posita, videantur reprobari. Confoederatio fiat et a centro procedat potissimus influxus, sed, sicubi in peripheria iam aliquid boni in genere existit, conemur ut utraque via harmonice componatur et alia alii non praeiudicet.

A. R. P. N. : Clarum est Commissionem non voluisse cum auctoritate praescribere, quomodo procedendum sit in constituendis secretariatibus. Sed si per unionem Congregationum perveniendum esset ad secretariatum hic Romae, res nimium pertraheretur, cum valde necessarium videatur, ut Romae quamprimum instituatur secretariatus.

In nostris discussionibus tam saepe vidimus quantopere Congregationes sibi sint relictae. Patribus Delegatis de variis rebus notiones clarae non fuerunt. Debet esse aliqua directio quae veniat a centro. Sic quaestio de relatione ad Iuventutem Catholicam, postulat proximam solutionem. Debemus maxima cum modestia et simplicitate hic Romae creare aliquod centrum quod dein iuvare potest Provincias. In Provinciis designandus videtur aliquis Pater, cui omnium rerum, ad Congregationem spectantium, cura demandetur et qui medius sit inter provinciam et secretariatum centralem, curetque ut etiam in Provinciis paulatim secretariatus instituantur, nisi jam aliqua ratione adsint.

§ 3. *De modo practico procedendi.*

Praeses : Potestne aliquis nobis proponere practicum procedendi modum, qui bene successerit ?

P. Drüding : Dico de ortu organizationis adolescentium quae Dusseldorfii sedem habet. Anno 1896 in 5 diocesibus praesides unionum iuventutis genuinae (Congregationes, saltem vere florentes, tunc temporis non existebant) convenerunt et unionem praesidum fecerunt et praesidentem elegerunt. Qui in decursu temporis normas directivas elaboravit, secundum quas praesides procederent. Quod attinet ad modum Organizationis, maior pars i. e. circa 60 ex 100 unionibus,

formam congregationis elegerunt, aliae simplicis unionis. Crescente associatorum numero secretarius generalis constitutus est, qui etiam folium edidit pro praesidibus, paulo post etiam pro sodalibus. Numerus associationum nunc ita auctus est ut sit 3000, cum plus quam 350.000 membrorum. Erat maxima unio catholica et iuvenum.

Mutata est ante quinque circiter annos in unionem ipsarum associationum quod id commodi, affert, quod adolescentes collaborent, sibi conscii sint se magnum influxum exercere, ut bona multa fiant, mala reprimantur.

Spiritus Sodalitatis Marianae eo imprimis fovetur, quod secretariatus hanc organizationis formam semper ut optimam proponit. Revera illae quoque associationes, quae Primae Primariae aggregatae non sunt, verae sunt Congregationes. Ipsi adolescentes desiderant praesides, nec solos assistentes seu consultores, sacerdotes. Opera pietatis eadem sunt, quae in Congregatione, Exercitia Spiritualia tum clausa tum publica habentur. Si nos in Germania faceremus novum secretariatum, faceremus aliquid quod esset omnino superfluum et nocivum.

P. STEJSKAL: In nostra Viceprovincia res ita processit, ut unus e nostris Patribus cum aliquibus peritis sodalibus opus unionis aggressus, bono cum successu exsecutus sit.

P. REVELLO: Interrogare velim, num omnes illi praesides, de quibus P. Drüding, sint sacerdotes?

P. DRÜDING: Omnes sunt sacerdotes excepto uno qui est ludimagister laicus.

P. REVELLO: Hoc interrogavi ut scirem num sacerdotibus et Patribus posset addi etiam laicus, vel laici, qui inter optimos quidem selecti, et ut Congregationis membra, et etiam uti officiales, magnum auxilium praebere possent.

P. VAN RUTH: Ante 10 annos institutus est secretariatus in Hollandia, sed nondum habemus unionem. Et consulto hoc factum est. Cum enim longe plurimae Congregationes dirigantur a saecularibus, qui spiritum Congregationis nondum semper bene norunt, damnum oriretur pro Congregationibus, si iam nunc fieret unio, et sic nos auctoritatem nostram amitteremus. Sed secretariatus multos bonos fructus tulit et facit, quae ab auctoritate unionis essent facienda.

Incipiendum est valde modeste ita ut secretarius a Superioribus constitutus quasi propagandista sit Congregationis Marianae et erigat quod dicitur: *Bureau de Consultation*. Ad hoc nulla licentia Episcopi opus est.

P. TIERNEY: Primo fundandum censeo secretariatum intra Provinciam, dein nationalem. Quibus inter se unitis unio internationalis praeparari potest. Non vero viam aptam et possibilem puto, ut ab internationali exordiamur.

P. DRÜDING: Secretariatui nationali obstat quod variae Congregationum species, i. e. virginum, adolescentium, operariorum, etc. tantopere inter se differant, et necessitates in variis eiusdem nationis regionibus tam variae sint, ut non facile quis inveniatur, qui curae tot et tam diversarum rerum sufficiat. Non video quomodo secretarius nationalis omnibus istis diversis quaestionibus respondere possit, licet pro rebus pure religiosis fortasse unus secretarius sufficiat. Ut habeat auctoritatem debet esse vir rerum usu peritus.

P. AYALA: Nos in Hispania primo secretariatum nationalem constituimus, dein regionales adiunximus. Pro secretariatu constituimus moderatorem sacerdotem; nam nostro judicio, hoc necessarium est, ne auctoritas desit et opus deferveat. Ipsi vero moderatori dantur adiutores sodales aptiores ad id munus, ut res magis propria habeatur, et majore conatu ametur.

P. ROSTWOROWSKI: Quae nobis P. Drüding proposuit, secretariatum nationalem omnino dissuadere videntur. Sed puto talem virum, qui secretariatui praesit, plane non rebus singulis providere debere. Eius erit e loco suo superiore principia generalia et normas statuere, secundum necessitates et indigentias nationales. Particularia particularibus secretariis reliquenda sunt. Puto igitur secretariatum nationalem et possibilem et utilem esse.

P. AYALA: Rem confirmat, ex his quae facta sunt in Hispania.

P. QUIRICO: Modus optimus procedendi oritur ex ipsa constitutione Congregationis, quae est hierarchica. Sic a secretariatu centrali est incipiendum dein pro dioecesibus sunt statuendi, et sic continuo habebitur organizatio in toto mundo. Ubi iam sunt secretariatus adaptentur. Sed incipiendum a secretariatu centrali; si enim a foederationibus et unionibus initium esset sumendum, organizatio lentissime procederet nec obtineretur finis, quem optamus.

P. SIERP: Puto secretariatum nationalem esse saepe rem sat difficilem. In variis regionibus differentiae locales, in eadem natione, tales esse possunt ut generalis secretariatus difficulter operari possit. Dein homo aptus et sufficienter instructus pro tota aliqua natione vix invenietur. Debemus tendere ad maiorem unionem, sed non possumus statim habere completam. Hinc opus est facere ea quae possibilia sunt, et ita paulatim maiorem unionem praeparare.

§ 4. *De expensis necessariis ad secretariatum constituendum.*

P. CORREA : Existimo quam primum esse statuendum Romae secretariatum generalem, ob rationes optimas allatas. Tamen, cum expensae sat magnae ad hoc faciendum exigantur, cogitare debemus de modo quo hae pecuniae colligi possint. Inter alia media hoc propono, quod etiam in foederatione Chilensi cum bono exitu adhibitum est. Statuantur quinque collationum classes, in quas quaeque Provincia, secundum facultates et vires suas se inscribat ; e. g. 1ª categoria ponamus sit 5000 libellarum ; 2ª, 3000 ; 3ª, 1000 ; 4ª, 500 ; 5ª, 100. Iisdem litteris, quibus communicatur cum Provinciis de secretariatu constituendo, indicetur Provincialibus ut consultis Directoribus singularum Congregationum seligant categoriam, in qua se ponere volunt.

P. JOLLAIN : P. Correa tetigit aliquam difficultatem quae me premebat. Velim scire a Patribus earum regionum in quibus iam sunt secretariatus quomodo isti sustententur.

P. DRÜDING : Quod expensas spectat, intra singulas nationes res bene ita componi potest, ut folia mensilia quae omnibus praescribuntur tali pretio vendantur, quod etiam secretario sustentando sufficiat. Hunc modum nos sine difficultate sequimur.

P. STEJSKAL : Apud nos ipsae Congregationes directe expensas solvunt.

§ 5. *De modo constituendi secretariatum.*

P. TIERNEY : Vellem redire ad priorem difficultatem. Secundum ea quae dixit P. Drüding, unionem nationalem impossibilem censeo.

P. DRÜDING : Si curare deberet solum res religiosas, non est tanta difficultas : si omnes, est impossibilis.

P. TIERNEY : Forsan conclusio erit, modo diverso esse procedendum, pro diversis regionum adiunctis.

P. MISCHLER : Difficultates in condendo secretariatu unionis centralis pro Congregationibus virginum in Bochum (Germania) hoc modo superatae sunt : Anno 1910 sacerdos aliquis urbis Bochum in dioecesi Paderborniensi, zelo plenus necessitatem unionis Congregationum virginum et secretariatus perspexit. Mentem suam Episcopo, qui nunc est Cardinalis Coloniensis Schulte, aperuit. Qui laetus consentiens parochi consilio, illud clero per folium dioecesanum communicavit et praesides dioeceseos convocavit. Re ab eis approbata, idem parochus director dioecesanus est nominatus et primum secretarium egit adiutus ab alio sacerdote, qui folium pro directoribus et aliud pro officialibus

edebat. Virgines sodales aliud folium ipsis accommodatum acceperunt. Sustentatio secretariatus nullam difficultatem praebuit, quia Director dioecesanus parochus erat. Quae tamen erant necessariae expensae taxis sodalium solvebantur. Res optime processit praesertim quod unio, periodicum et labor secretariatus ad unum genus Congregationum, nempe virginum, restringebantur. Puto vix fieri posse ut aliquod periodicum omnibus classibus satisfacere possit. Res quae tum bene processit in dioecesi Paderbornieni, postea eodem modo instituta est in dioecesi Monasteriensi et archidioecesi Coloniensi et septem aliis. Cum patientia et perseverantia omnes difficultates sunt superatae ; Episcopus Trevirensis v. g. per multos annos restitit, quominus in suam dioecesim introduceretur. Tamen paulatim in diversis partibus dioeceseos aliqui ex ordine secretariatus sunt fundati, quorum bonum successum cum vidisset, Episcopus ipse paulo ante mortem anno 1921 organizationem dioecesanam fieri voluit.

PRAESES : Si quis adhuc aliqua de quaestione agitata dicere vult, cum tempus iam urgeat, ea paucis complectatur verbis.

P. ERSIN : Difficultates sublatas esse puto, si ii, qui iam aliqua organizatione fruuntur, se aggregent ad secretariatum generalem, alii vero rem instituant eo modo, quo melius fieri potest.

Quod autem impedimentum, ex specificatione Congregationum ortum, spectat, Vindobonae res optime composita est. Habemus secretariatum, in quo laborant ii, qui folium publicant, et una cum iis praeses dioecesanus. Praeterea variis Congregationum speciebus praesunt moderatores (qui dicuntur Gruppenleiter). Illi statutis temporibus conventus Congregationum cogunt, in quibus de iis quae singulis speciebus necessaria sint, consilium capitur. Hi porro moderatores (Gruppenleiter) statutis temporibus convocantur a praeside dioecesano, ubi de iis consilia capiuntur, quae ad omnia Congregationum genera pertinent. Et ita cum unio optima tum etiam singularum Congregationum regimen habetur.

P. BŮS : Liceat mihi breviter dicere quomodo res non debeat fieri. Apud nos res male cessit. Primum sacerdotes saeculares fecerunt unionem quae tandem cum scandalo soluta est. Deinde incepimus nos, et fecimus unionem praesidum et sodalium pro toto regno. Spes erat optima. Sed res non placuit Episcopis aliquibus et post breve tempus debui totum dissolvere. Prius res debent bene praeparari et Episcoporum benevolentia nobis conciliari, sine qua talis unio vix fieri potest.

P. GARESCHÉ : In discussionibus nostris praeparatoriis quando

Conspectus Brevis compositus est, nullo modo intendimus aliquid imponere de modo organizandi in diversis locis et Provinciis. Immo persuasi sumus conditiones ita varias esse in Provinciis et nationibus ut singulae Provinciae in condendis unionibus et societatibus proprias necessitates respicere debeant. Hoc tamen omnibus Provinciis commune sit ut unum saltem habeant Patrem, qui huius rei curam suscipiat et sese totum in promovendis et adiuvandis Congregationibus impendat, qui informationes, suggestiones, adiumenta, etc., dare semper sit paratus. Sic intellectus, secretariatus institui potest etiam ubi iam a sacerdotibus dioecesanis optime organizatae sunt uniones Congregationum. Omnes enim libenter accipient auxilium, licet auctoritatem supra se fortasse male ferrent. Item dicendum est de secretariatibus nationalibus. Auctoritatem exercere non debent, sed auxilium, informationes, suggestiones praebere. Non ergo est conflictus auctoritatis etiam ubi congregationes sunt bene organizatae. Neque necesse est invenire hominem, qui omnia gubernare possit vel dirigere. Sed secretariatus nationalis omnibus servire debet secundum potestatem suam et exigentias diversas Congregationum.

§ 6. *De praeside foederationis designando.*

P. Correa: In hac re de foederationibus ineundis habeo difficultatem, cuius solutionem a Paternitate Tua humiliter petere velim. Quisnam debet eligere Directorem foederationis nationalis, cum sint plures Congregationes directae a saecularibus quam a Nostris; utrum nempe prima auctoritas ecclesiastica illius nationis, an Pater Generalis.

A. R. P. N.: Est gravissima difficultas et nondum soluta, et est ratio cur modeste debeamus incipere a secretariatu, qui non habet auctoritatem. Pro singulis dioecesibus facilius aliqua unio fieri potest, pro pluribus iam est maior difficultas. Tandem intercedere debet S. Sedes.

P. Drüding: In pluribus organizationibus Germaniae unus ex Nostris collaborat, non autem praeest, Praesidi Generali subest, sed multum habet influxum et imprimis rei religiosae curam habet. Hac subiectione omnis conflictus cum officialibus ecclesiasticis et omnis invidia vitatur, labor autem augetur.

Conclusiones.

A. R. P. N.: Ex tota discussione, apparet:

1. In singulis regionibus modus procedendi diversus esse debet, cum conditiones sint omnino diversae: aliae regiones iam habent aliquam organizationem, aliae non.

2. Clare tamen patuit aliquam unionem esse necessariam. Consilium non est novum, iam de hoc cogitabatur saeculo XVI, in quo ortae sunt Congregationes. Eo tempore P. Coster iam creavit aliquam unionem et foederationem. Necessitas alicuius unionis a multis sentitur, non talis qualem diximus, sed alicuius unionis.

3. Primo loco, aliquid est faciendum Romae, secretariatus centralis instituendus, qui possit P. Generalem in rebus communibus Congregationum iuvare. Ipse solus per se ipsum omnia non potest facere. Considerentur ea, quae his diebus conferentiarum nostrarum, eius curae commissa sunt; v. g. fiat pro moderatibus Directorium, bonum quidem; res liturgicae curentur, et statuta associationis S. Ioannis Berchmans adaptentur; instructio de Iuventute Catholica et Sodalitate conficiatur; quaestio de bonis temporalibus examinetur et componatur, etc. etc. Fieri non potest ut ea executioni mandentur nisi adsint Patres qui in hac re suum laborem conferant. Duo homines videntur omnino necessarii, ut res bene procedant.

4. De pecunia ingratum est loqui, sed tamen necessario comparanda est. In hac re habemus aliquam inferioritatem organizationis, relate ad multos Ordines, v. g. recentiores monialium. P. Generalis est pauperrimus; nihil habet; vivit ex eleemosynis ex Provinciis missis, et pro talibus rebus particularibus nihil impendere potest. Tot sunt res faciendae pro quibus pecunia est necessaria. Etiam congreganistae hoc intelligent. Videtur omnino necessarium ut congreganistae obolum suum dent. Congregationes debent pro bono communi aliquid contribuere et PP. Delegati iuvare possunt ut colligatur aliqua pecunia ut hic Romae secretariatus institui possit, qui Congregationes iuvare debebit, ut fiat vera acies ordinata.

5. Defectus magni notati sunt relate ad Congregationes. Omnino fateor magnam partem culpae nobis tribuendam esse quod adsint hi defectus non pauci, quorum mentio facta est, v. g. quod in aliquibus regionibus Congregationes vix existant, vel vitam agant sat miseram, et solis foeminis constent. At non aderant homines, qui iuvare poterant P. Generalem. Ex magna parte ea, quae his diebus dicta sunt, vana erunt, nisi secretariatus fiat: et Congregationes in multis regionibus languentes omnino peribunt. Res est certe executionis difficilis, v. g. problema habitationis. Sed si manemus in statu praesenti maius in dies fiet decrementum.

De futuro congressu parando.

P. Becdelièvre, Relator.

1. *De finibus congressus.* — Huic congressui, sicut et cuilibet alii, *tres fines* assignari possunt:

1º *manifestatio* devotionis sodalium erga B. M. V., virtutis et roboris Sodalitatum per totum orbem diffusarum;

2º *recensio*, totius exercitus Mariani, qui, Virgine duce, pugnat pro Christo et Ecclesia: investigatio de numero, statu, organizatione Congregationum;

3º *instructio*, ut fideles omnes magis cognoscant Sodalitates, earum finem et spiritum, media, efficaciam.

Praesentibus conferentiis vix attingere potuimus secundum et tertium finem, nec ullo modo primum ne splendorem Congressus Eucharistici aliqua umbra offuscaremus. Sed eos omnes, quam perfectissime, futuro nostro congressu obtinere conabimur.

2. *De mediis practicis parandi congressum.* — Ea iam excogitavimus:

1º Romae, determinatis anno et anni tempore, quibus congressus haberi possit, *programma* elaborandum erit, quod probabiliter complectetur sessiones et generales et particulares, functiones solemnes in Ecclesia S. Ignatii, auditionem musicalem, exhibitionem et bibliothecam Sodalitatum, editionem historicam Sodalitatis et Directorii. Ad elaborationem huius programmatis forsam necessaria erit *institutio Secretariatus centralis*, de quo nuper egimus;

2º Extra Romam, i. e. in omnibus iis provinciis unde huc convenistis:

a) Executio, seu *potius organizatio aliqua* iuxta conclusiones nostrarum Conferentiarum, approbatas et promulgatas ab A. R. P. N.:

b) Orationes in omnibus sodalitatibus;

c) Collectio pecuniarium, cum expensae ad talem congressum parandum et habendum necessario permagnae sint futurae;

d) Investigationes quas ad conferentias nostras parandas diligenter instituistis, perficiendae sunt et complendae, immo et mature terminandae, ut ex iis conclusiones et statisticae utiliter confici possint;

e) Exhibitio Mariana sedulo est paranda, ut non modo libri, sed et Sodalitates ipsae, sacella, sectiones ante oculos exhibeantur;

f) Omnimodo et ubique congressus est promulgandus.

3º Concludo iam, Reverendi PP. Delegati, et a Vestris Reverentiis instantissime peto, ut in vestra quisque Provincia, strenue et constanter indefesso modo in hunc laborem incumbatis. Haec sit vestra resolutio firma, constans; haec practica conclusio nostrarum conferentiarum. Ego Delegatus meae Provinciae, qui Sodalitates Marianas, ut opus Societatis proprium, magis diligam et magni faciam, ad parandum futurum congressum ita incumbam, ut optime succedat, manifestatione, recensione, instructione perfecta, ad maiorem B. M. V. laudem et honorem, ad intensiorem Sodalitatum promotionem.

Praeses: Habet ne quis aliquid dicendum circa media practica parandi congressum?

P. Correa: Utile foret conventus nationales vel regionales haberi ad parandum congressum generalem, sicuti etiam in Societate nostra Congregationibus Generalibus praecedunt Congregationes Provinciales.

Ibi etiam provideri potest de pecunia comparanda pro Congressu Generali.

P. de Guibert: Mihi quoque aptum videtur congressum generalem per provinciales vel regionales praeparare. Sed addere velim consilium, quamprimum elaborandi schema quaestionum in generali congressu tractandarum, ut in regionali iam, quid de iis sentiendum sit, dici possit.

P. Sierp: In Germania hoc tempore ob ingentes viae ferreae expensas congressus nationalis cogi vix potest; facilius autem dioecesani.

Praeses: Si fit in dioecesibus idem effectus obtinebitur.

P. Gareschê: Modus practicus mittendi delegatum etiam pro Congregationibus pauperrimis est institutio alicuius bursae, contributionibus paucissimis, sed ab omnibus et saepe acceptis. Sic per tres annos ante futurum congressum, qui erit, v. g. 1925, sat pecuniae haberi potest ad expensas delegati solvendas.

P. Mischler: Si hoc consilium praesidibus proponimus, obtendent nobis pretium exiguum et variabile nimis pecuniae germanicae. Quar , dicent, nemo aliquot annis ante iam solvet quidquam, cum timere debeat, ne forte tempore elapso soluta summa ob mutatam « valutam » omnem valorem amiserit.

3. *De tempore quo Congressus celebrari possit.*

P. Correa: Quod ad Congressum futurum spectat, censeo praeparationem et divulgationem huius notitiae esse quam primum incipiendam. Quia, teste experientia, multi conventus non fuerunt coronati successu exoptato, quia non satis tempestive parari cepti sunt. Hoc enim ex eo patet quod ad solas litteras mittendas in regiones dissitas Australiae et Americae, non pauci menses insumuntur, dummodo,

quod etiam aliquando accidit, in via non pereant. Nos, si licet mihi hoc exemplum domesticum adducere, ad parandum Congressum Panamericanum, in urbe S. Jacobi de Chile habitum, consumpsimus duos annos et medium. Et hic notandum est ab ipso principio huius temporis cum omni diligentia quinque vel sex viros strenue adlaborasse.

Praeses: Num duo vel tres anni sufficiant ad sodalitates nostras restaurandas? Quid tum fuerimus? Quis splendor congressus nostri esse poterit?

P. Rostworowski: Fortasse non opus est exspectare donec reorganizatio congregationum facta sit. Congressus locum habere potest etsi tales labores adhuc perdurent.

Difficultas de pecunia colligenda proposita ita solvi posse videtur, ut pecuniae collectae deponantur in Anglia vel America, ubi moneta non tantis subiicitur mutationibus. Alia ex parte nimis grave foret congreganistis, si unica tantum solutione, totam summam pro expensis congressus requisitam comparare deberent.

P. Villaret: Necessarium puto mature annum et anni tempus, quo habeatur congressus, determinare. Multi homines, imprimis officiales ecclesiastici, professores Universitatum, alii viri, certis tantum temporibus vacant.

P. Quirico: Tempus maxime idoneum est mensis septembris et octobris, quo tempore collegia sunt vacua et ideo facile hospites recipi possunt.

P. van Ruth: Res magna difficultate laborat, cum in variis regionibus annus scholaris iam initio septembris incipiat.

Quod annum congressus spectat, eum post tres annos celebrandum esse censeo, nec diutius differendum, cum tanti sit momenti. Spatium interpositum ad praeparationem sufficit, modo statin post reditum in Provinciam incipiamus, imprimis vero a P. Provinciali petimus ut virum aptum ad hoc praeparandi munus destinet. Non necessarium est expectare donec omnia quae hic proposita sunt, in praxim sint inducta. Congressus ipse est medium omnino aptum promovendi Congregationes.

P. de Guibert: Etsi opera principalia, de quibus his diebus disseruimus, post congressum internationalem exsecutioni mandanda sunt, cum in illo demum res definiantur et decidantur, aliqua tamen antea praestanda esse videntur, ut in eo iam possint afferri, quae de his docuerit experientia; talia sunt praesertim editio directorii et institutio secretariatus internationalis.

P. Gareschè: Legendo triplicem finem Congressus futuri uti

sub numero 1 continetur, non videtur congressum plus quam tres annos praeparationis indigere. Etenim omnes tres fines attingi possunt etiam non perfecta organizatione tum Congregationum, tum etiam unionum et secretariatuum. Congressus autem inservire potest uti stimulus ad ea, saltem partim, facienda quae indicavimus in Conspectu.

P. Fiocchi: Quaestionem pono de verbis, quae in *Brevi Conspectu* habentur (p. 26 sub n. 4): « Inquirendum est non tantum de nostris Sodalitatibus, sed etiam de externis quae Primae Primariae aggregatae non sunt vel alii Primariae sunt aggregatae ». Suntne eo sensu intelligenda quod eae ultimae Sodalitates ad nostrum congressum sint invitandae? Mane, aliquid contrarii ab A. R. P. N. dictum est. Insuper non video tunc quomodo id fieri possit quod dicitur sub n. 1 (p. 25), nempe ut fideles instruantur de vero et genuino spiritu Congregationis.

P. de Becdelièvre: Mens nostra nunquam fuit ut ad congressum nostrum Sodalitates alii Primae Primariae aggregatae invitarentur. De iis tamen aliquo modo investigatio est instituenda:

1. Ut aggregationem coetuum qui nulli Primariae aggregati sunt, obtinere conemur;

2. Ut proportionem eorum, qui aliis Primariis sunt aggregati, cognoscamus;

3. Ut eorum naturam et modum agendi percipiamus.

Iis enim notionibus ad nostros coetus promovendos uti poterimus.

Eadem mente aliquid scripsimus de variis societatibus quibuscum Sodalitates collaborare vel concurrere possunt.

P. Quirico: Ni fallor, mens erat, ut congressus fieret Congregationum quae Primae Primariae aggregatae sunt. Aliae Congregationes non sunt invitandae. Quod dicitur in conspectu respicit studium statisticum conficiendum.

P. Browne: Quod ad pecuniam comparandam spectat, saltem apud nos in Hibernia ita procedi potest. Interdum ab hominibus piis dantur Nostris eleemosynae quarum distributio arbitrio nostro relinquitur. Talibus ad congressum parandum uti, aptum omnino esset et donatorum voluntati conforme.

Conclusio sessionum.

Praeses: Discussione peracta, liceat mihi, Reverendissime Pater Generalis, maximas et ardentes gratias agere pro instituto hoc congressu, pro sapientissimis consiliis, pro vigilantia paterna, ne Congre-

gationes a recta via deflectant, pro paterna benevolentia qua Paternitas Vestra sessionibus interesse voluit. Pro omnibus maximas gratias agimus.

A. R. P. N.: Ego vobis, RR. PP., gratias ago. Magno solatio mihi fuerunt hae sessiones. Etsi congressus noster fuerit valde modestus et tempus sat breve et multae quaestiones non potuerint examinari, tamen multa optima consilia data sunt, quae etiam fructum suum habitura esse spero. Omnes Patres redeunt cum illo proposito omnibus viribus suis quam maxime Congregationes Marianas promovendi. Non omnia facere possumus, sed debemus omni vi ea opera promovere, quae Societati maxime sunt propria, Exercitia Spiritualia, Congregationes, Apostolatum orationis.

Caveamus illo pruritu continuo nova condendi. Deus Societati dedit splendida opera, ea promoveamus. Si hoc unum faciemus, plurima ad maiorem Dei gloriam praestiterimus.

Quoad futurum congressum internationalem puto, et haec videtur mens omnium patrum qui locuti sunt, eum in variis regionibus debere praeparari vario modo. Sed paulatim praeparari debet. Certum tempus nondum potest determinari, sed desiderandum videtur ut post tres annos, anno iubilaei, haberi possit. Nam etsi desiderandum est ut ex iis quae hic commendata sunt aliqua saltem iam executioni fuerint mandata, tamen ex altera parte congressus generalis magnum medium erit ad Congregationes promovendas.

Omnibus gratias ago et omnium orationibus me commendo ut saltem ex parte melius iuvare possim Congregationes Marianas.

Quibus dictis, A. R. P. Noster Delegatis benedictionem suam dedit.

SESSIO PUBLICA, DIE 24 MAII.

IN EADEM AULA MAXIMA COLLEGII GERMANICI.

In hac unica sessione *pro moderatoribus externis* praeest idem R. P. RUTTEN cum R. P. FIOCCHI, Vicepraeside et P. AYALA, Secretario. A. R. P. N. suo loco assidet, ut omnia quae dicuntur audiat, dirigat et solvat.

In aula, moderatores externi primas sedes occupant, duo RR.mi Episcopi, nonnulli praelati et viginti circiter sacerdotes.

Horum nomina inter alia colligere potuimus:

RR. DD. SEBASTIANUS LEITE DE VASCONCELLOS, Archiepiscopus Tamiathensis.

RR. DD. GILBERTUS FUENZALIDA GUZMAN, Episcopus S. Conceptionis (Conception, Chile) cum Secretario.

RR. DD. JOANNES B. MEHLER, Praelatus Domesticus S.S. Dioeceseos Ratisbonensis (Bavaria).

R. D. VERCOLLIER, Secretarius RR. DD. Archiepiscopi Cameracensis (Cambrai).

R. D. KNIEWALD Dr. Theol., Prof. theol. in Seminario Archiepiscopali Zagrabiensi. (Croatia).

R. D. KALINOWSKI, Professor religionis Calissiensis (Polonia), Director foederis 60 Congregationum scholarum mediarum in Polonia.

R. D. MISONNE, Vicarius Turnholtanus Dioeceseos Mechliniensis.

R. D. SCHWALLER, sacerdos dioeceseos Lausannensis et Genevensis in Helvetia, moderator Congregationis in Collegio Friburgensi S. Michaelis.

R. P. D. ROBERTUS BREITSCHOPF, O. S. B., Austriacus.

R. D. TAVARD, Decanus et Parochus Paroeciae Einville in dioecesi Nanceiensi, delegatus a Vicario Generali Dioeceseos qui operum generalem curam habet.

Praeter illos directores externos, adsunt in aula PP. Delegati PP. Relatores, bene multi alii Patres et alumni Collegii Germanici.

PROGRAMMA SESSIONIS.

I. Bene intellecto officio directoris, necnon genuino fine et spiritu interno Congregationis, quid practice agere debent moderatores ut Congregationes plene respondeant suo fini, sive relate ad sanctificationem sodalium, sive relate ad opera zeli apostolici, per rectam sectionum organizationem?

Relator : P. GARAGNANI.

II. Quaenam media magis apta sunt: 1. Ad practicam Directorum efformationem; 2. Ad Congregationes propagandas. Quae sunt difficultates praecipuae et quomodo eis respondendum est.

Relator : P. MONACO.

In initio sessionis A. R. P. Generalis, haec verba fecit:

Excellentiae R. mae, Reverendissimi Domini.

Liceat mihi cum sim Praepositus Generalis Societatis Iesu ad quem spectat, cum licentia Episcoporum, Congregationes Primae Primariae in Collegio Romano existenti aggregare, vos huc congregatos

ex corde salutare, quia nobis gratissimum est vobiscum de Congregationibus promovendis et de Congressu futuro parando pauca agere.

In mente nobis est, Deo adiuvante, post 3 annos Congressum convocare Internationalem omnium Congregationum B. M. V. Romae habendum. Sed utile putavimus hac occasione Congressus Eucharistici uti, ut paullatim iam aliqua pro illo futuro Congressu praeparentur et ut etiam clarius pateat qualis sit status Congregationum Marianarum in universo mundo et quae fieri possint ut melius promoveantur.

Per tres dies iam cum Moderatoribus Societatis nostrae de his quaestionibus egimus. Non sumus ausi etiam moderatores alios ad nos invitare, ne ipsi cogerentur citius Romam venire, neve ab aliis negotiis gravioribus distraherentur. Tamen putavimus nobis licere saltem hodie mane eos, qui iam Romae adsunt, invitare ut de rebus maioris momenti simul agamus.

Duo PP. Relatores exponent puncta in parvo programmate indicata breviter et enucleate. Deinde omnes RR. DD. rogantur ut ea quae observanda habent cum omni libertate proponant. Scimus etenim Moderatores Congregationum Marianarum, quae in variis totius mundi partibus numerosissimae sunt, multo numerosiores quam Congregationes quae a PP. Societatis reguntur, maximam et maiorem saepe experientiam habere quam Patres Societatis. Hinc eorum consilia erunt nobis gratissima.

Relatio P. Relatoris Augustini Garagnani S. I. Primae Primariae Romanae Directoris:

De Congregationibus B. M. Virginis sermonem breviter, ut temporis angustiae patiuntur, habituri, in animo habemus, Excellentissimi Praesules atque Reverendissimi Domini, vestrae menti subiicere quid de his coetibus nobis sentiendum videatur, quaenam sit earum propria indoles et genuinus spiritus; quibus mediis atque industriis exercitus iste ad proelia Domini pugnanda sub immaculatis Deiparae vexillis excitatus, in dies melius instrui atque promoveri possit. Nobis autem gratissimum fuerit, si Reverendissimi adstantes, pro eorum benevolentia simul atque Sodalitatum peritia, nobis suggerere velint quae in earum incrementum cedere posse videantur.

Et in primis nobis omnibus compertum est, Congregationes B. M. Virginis, temporibus quoque nostris, maxime congruere, atque falsum esse quod a quibusdam dici solet, qui earumdem propriam naturam non probe cognoscunt, eas aliis institutionibus locum in praesenti cedere debere. Minime gentium: tempora enim nostra associationes postulant, quae quam maxime *spiritu interno et supernaturali* floreant, ita ut catholicos impellant et adiuvent ad perfectionem vitae christianae adipiscendam, quae nequaquam solum inter claustra relegari debet. Sunt hac nostra aetate, inter omnium classium fideles, qui cupiunt ampliorem et profundiorem culturam religiosam et asceticam. Dixit quidam: saeculum XIX fuisse saeculum positivismi, saeculum vigesimum futurum esse saeculum mysticum: cui enunciationi, si spectentur tendentiae philosophiae modernae, ardor studiorum mysticorum etiam extra castra Ecclesiae, aberrationes theosophiae et spiritismi, nonnihil veri inesse videtur. Iamvero ad penitiorem religiosae conscientiae efformationem summopere conducunt B. M. V. Congregationes, quarum proprium est effingere homines perfecte christianos, virtutibus internis praeditos, qui revera conentur ad majora ascendere: sunt igitur Mariales Sodalitates verae scholae perfectionis christianae, magistra Beatissima Virgine Sede Sapientiae. Quemadmodum enim Sanctissima Virgo in Annunciationis mysterio, cui sacra est in hac Urbe Roma Congregatio Prima Primaria, virginali sinu Christum concepit, eadem curat ut Christus concipiatur, formetur atque perficiatur in mente, in corde, in operibus nostri sodalis, qui vere alter Christus in sinu dulcissimae Matris Mariae evadere debet.

Praeterea tempora nostra exquirunt associationes quae organizationem praeseferant, qua fideles uniantur et roborentur et in qua recte concilietur auctoritas et directio Sacerdotis cum libertate quadam actionis sodalium et cum illo quem vocant spiritum initiativae. Hoc autem optime obtinetur in Congregatione B. M. Virginis, ubi requidem vera auctoritas plena apud Patrem Directorem residet, et ita praecavetur periculum maximum multarum associationum, quae, regimine mere democratico rectae, vitam parlamentarem nimis redolent: ex alia parte, non nervi praeciduntur spontaneae actioni sodalium, si suus honor, vigor et auctoritas tribuatur officialibus Congregationis, si quaedam bene intellecta autonomia tribuatur in ipso sinu Congregationis diversis sectionibus, si Director nolit omnia ipse facere sed potius curabit ut sodales faciant.

Tandem tempora nostra coetus expostulant, qui in membris suis zelum apostolicum excitent et ad actionem atque ad opera catholica provocent; ad actionem, inquam, quae sit fructus et emanatio zeli supernaturalis salutis animarum et oriatur ex charitate Dei, ex amore Christi, et Ecclesiae, non ad actionem, quae sit palaestra competitio-

num individualium et veluti gradus ad honores obtinendos. Sub hoc etiam respectu Congregationes apprime conveniunt necessitatibus nostrae aetatis, cum sodales hortentur atque efforment ad zelum animarum et ad actionem catholicam, veluti ad quamdam supereffluentem emanationem illius fervoris interni quo flagrant.

Quod si addatur, Congregationes Marianas in ordinariis coetibus sodalibus facultatem praebere ut Exercitia pietatis devote peragant, ut Sacramenta confessionis atque Communionis frequenter et cum fructu percipiant, ut per devotionem erga Beatam Virginem ad servandam animi corporisque puritatem iuventur, ut per directionem spiritualem stabilem et securam ad proficiendum in via Domini excitentur, ut plurimas etiam plenarias indulgentias lucrari possint; manifestum videtur, in Congregationibus quemcumque fidelem cuiuscumque coetus socialis ea omnia invenire, quae ad spiritualis animi profectum desiderare possit.

Ut autem Director Congregationis recte suo munere fungatur adeo ut Congregatio ipsi commissa plene suo fini respondeat, haec sunt quae praecipue animadvertenda occurrunt:

1. *De dotibus Directoris.* — Director, si velimus exemplar quasi perfectum effingere, natura esse debet vir prudens, magnanimus, perseverans, ingeniosus et industriosus, aptus et aequalis in modo agendi cum omnibus, praeditus facultate publice loquendi. Praeter has naturae dotes necesse est ut in directore appareat studium speciale vitae interioris, devotio singularis erga B. V. M., zelus, scientia regularum et traditionum, existimatio et amor Sodalitatis. Hae dotes magis minusve exiguntur iuxta diversa Congregationum genera et, si agitur de Sodalitatibus mulierum, requiritur specialis gravitas. Quodsi Director eligendus omnibus his dotibus praeditus non inveniatur, essentiales saltem habeat, nempe ut intime cognoscat atque magni faciat naturam et finem Congregationis, et donum habeat dirigendi animas ad hunc finem obtinendum.

2. *De munere Directoris.* — Munus Directoris est maximi momenti, quum ex bona directione magna ex parte pendeat ipsa vita Congregationis. Directoris est dirigere, non ipsius omnia facere. Regere debet Congregationem non secundum proprium sensum sed secundum statuta et legitimas traditiones. Idem fovere debet vitam internam ut non solum in propriam sanctificationem sodalium redundet, sed etiam in opera exteriora zeli apostolici et defensionis Ecclesiae. De hoc multiplici fine Congregationis et praesertim de devotione erga B. V. M. saepius ipse publice et privatim sodales in-

struat et hortetur. Statuta et ephemerides explicet sodalibus. Curet ut per media propria Congregationis ita efformentur congregati ut evadant viri integrae fidei, morum egregiorum, addicti maxime Ecclesiae, maxima activitate praediti pro bono societatis et pro defensione fidei. Quare prudenter et caute novos sodales recipiat, invigilet circa eorum rectam formationem, indignos tempestive et debita prudentia eliminet: per ephemeridem vel privatas litteras cum absentibus communicet, foveat vincula inter antiquos et praesentes sodales.

Sciat magni esse momenti actionem officialium; nam, quamvis Directoris sit canonice summa auctoritas, tamen practice Director per officiales dirigere debet.

Quare optimi eligantur ad magistratum Congregationis, qui eam vere ament, sint conventibus assidui, zelum inter socios exerceant, sedulo promoveant opera Congregationis, magna existimatione afficiantur, sint in agendo constantes et prudentes. Licet Director habeat absolutam potestatem eligendi officiales, in praxi tamen, nisi necessitas aliud suggerat, relinquat ipsis congregatis electionem liberam, curando perspicaci et paterna diligentia ut meliores eligantur. Ad omnia externa recte et efficaciter peragenda debitas sectiones promoveat omnibus modis, ore, scripto et ephemeride. Magno cum studio administrationem temporalem curet, sed, quoad fieri potest, per ipsos officiales. Denique ita omnia disponere studeat ut Congregatio etiam eo recedente bene procedat saltem per aliquod tempus, donec alius vere aptus inveniatur.

3. *De defectibus Directoris.* — Praecipui defectus Directoris hi esse possunt: Omnia facere per seipsum, sensui proprio nimis esse addictum, alienis ministeriis libentius et saepius distrahi, despotismus in iubendo et tractando, inconstantia, ignorantia finis et spiritus Congregationis, eiusque statutorum, minor Congregationis existimatio et fiducia, discors agendi modus a praecedenti Directore sine ratione sufficienti, negligentia tum in parandis exhortationibus tum in propriis exercitiis Congregationis fovendis, nimia facilitas in sodalium receptione, sollicitudo potius de numero quam de qualitate sodalium, minor attentio circa eorum praesentiam, timiditas et respectus humanus circa indignorum eiectionem, nimia et fera severitas in tractando et dimittendo, partialitas, loquacitas et nimia familiaritas, maior tendentia ad foeminarum opera quam virorum, reluctantia circa opera externa, defectus initiativae, rigiditas, carentia spiritus cooperationis.

Quoad spectat ad procurandam interiorem sodalium sanctificationem, haec animadvertere placet :

1º Non omnes sunt admittendi indiscriminatim in Sodalitatem, sed ii tantum qui spem praeseferant ferventioris vitae in honorem B. M. Virginis degendae : quare potius quam numerus sodalium quaerendus est fervor interioris vitae: Congregatio enim est quoddam coenaculum perfectionis christianae ;

2º Curanda est instructio religiosa sodalium iuxta eorum aetatem et coetum socialem et captum intelligentiae : tradatur pueris catechesis, iuvenibus cursus organicus Religionis, cultioribus cursus technici superiores. Cursibus organicis addantur academiae et circuli, addatur et bene instructa bibliotheca ;

3º Sodales sunt diligenter educandi ad vitam spiritualem : sint in Congregatione apti et stabiles confessarii, doceantur ea quae pertinent ad vitam asceticam v. g. circa modum meditandi, utriusque examinis faciendi : consulantur boni libri pro lectione pia : multum praesertim iuvenes praestare possunt in via spirituali, si multum ab ipsis petitur ;

4º Maxima cura adhibeatur ut exercitia pietatis bene fiant : spiritus liturgicus promoveatur, qui tantopere in praesenti ab Ecclesia urgetur et fideles allicit : cantus a schola cantorum bene parentur, imo tota Congregatio discat optimos cantus optime canere : servitium ad altare per sectionem cultus vel per associationem S. Ioannis Berchmans magno cum decore et pietate exhibeatur ;

5º Maximi momenti est ut adhortationes quae fiunt ad sodales sint eorum aetati et conditioni quam maxime aptatae, bene paratae, solidae et efficaces : fructus Congregationis pendet ex parte ex adhortationibus hebdomadariis ;

6º Praebeatur sodalibus opportunitas faciendi, saltem interdum in vita, Exercitia Spiritualia clausa ;

7º Promoveatur pietas erga B. M. Virginem et SS. Eucharistiam, ita ut qui eucharistico fervore flagrant non sint allecti ad alias associationes ingrediendas, sed iam in ipsa Congregatione suo fervori satisfacere possint.

Relate ad opera zeli apostolici inter sodales promovenda, in primis est statuenda necessitas horum operum.

Deinde eligendum genus operum quod maxime congruit Congregationibus Marianis : qua in re evidens est ea opera esse seligenda quae magis sint consentanea fini Congregationum, qui omnino supernaturalis est : huiusmodi autem sunt opera quae directe et immediate respiciunt bonum animarum, divinam gloriam, fidei defensionem et propagationem, Ecclesiae triumphum. Deponenda igitur sunt saltem ut propria opera Congregationum (nam a singulis sodalibus bene possunt suscipi et promoveri) opera syndicalia, oeconomica et politica : sed potius vires Congregationum convertendae sunt ad opera pietatis, charitatis et propagandae religiosae.

Inter opera pietatis ea omnia praestant quae promovent cultum B. M. Virginis et SS. Eucharistiae.

Inter opera charitatis, ea imprimis quae sodales ipsos iuvant, ipsis praebendo quae sunt necessaria praesertim in coetibus iuvenum qui in magnas civitates conveniunt, dein visitatio pauperum in domiciliis et visitatio infirmorum in nosocomiis.

Inter opera *propagandae religiosae* excellit munus doctrinae christianae pueris et rudibus impertiendae et generatim opera omnia quae respiciunt curam religiosam, intellectualem, moralem, physicam, educativam tum puerorum tum operariorum : praestat praeterea hisce temporibus *propaganda missionaria* quae tantopere cordi est Ecclesiae et quae omnium fidelium classes, coetus et aetatem maxime percellit.

Ceterum in praesentiarum, quando tot rationes urgent in defensionem religionis et in bonum Ecclesiae, veluti immensus campus aperitur zelo laicorum, sive sint viri sive foeminae cuiusque aetatis et conditionis : hoc unum requiritur ut habeantur homines vere formati, Christi amorem et sincerum zelum animarum spirantes, pietati addicti et solidis virtutibus instructi : da modernae societati apostolos, ipsa renovabitur : dabunt autem mundo Congregationes apostolos.

Quomodo organizanda activitas Congregationum.

Duplici ratione opera in Congregatione exerceri possunt : altera est ratio, ut ita dicam, classica, perfecta, quae ubi adhiberi solet, est eligenda iuxta praxim et historiam Congregationum : nimirum organizatio per sectiones. Distribuantur sodales juxta eorum indolem, captum, characterem, in diversas sectiones pietatis, charitatis, propagandae ; suus cuique sectioni magistratus praeficiatur subordinatus supremo Congregationis magistratui : instruantur circa modum practicum sui muneris adimplendi : et postea veluti manipuli militum ad proelium perfecte instructi in mediam aciem mittantur.

Historia Congregationum testatur quot triumphos sodales nostri retulerint in omni genere activitatis.

Verum interdum accidere potest ut adiuncta locorum, personarum

et temporum non permittant ut ampliorem activitatem Sodalitas qua talis exerceat, sive quia campus iam est aliis operibus praeoccupatus, sive quia timetur conflictus cum aliis associationibus iam constitutis.

Restat tunc alia ratio non minus proficua operum exercendorum, ut scilicet Sodalitas efformet viros vel foeminas apostolico zelo flagrantes, eosque immittat in alias associationes, in alia opera, praesertim in opera parochialia, quibuscum collaborent, quibusque spiritum afferant. Hoc modo Sodalitates in paroecia erunt veluti animus actionis parochialis, eruntque sodales validissimi auxiliarii Parochis in eorum munere adimplendo. Mirum est quot opera zeli apostolici per sodales marianos decursu temporum fuerint excitata atque promota: mirum qualem influxum in societatem christianam exercuerint sodales, eo profundiorem quo minus ad superficiem apparet.

Excellentissimi Praesules, Reverendissimi Domini. Nos existimamus Sodalitatibus Marianis sublimissimam esse hisce temporibus missionem servatam: nimirum cooperari ad vitam integre christianam, spiritualem ac supernaturalem in moderna nostra societate excitandam atque fovendam. Huius vitae urget necessitas: huius vitae a pluribus desiderium et sitis sentitur.

Semper, ut nos docuit historia, post magnas revolutiones sociales, post maiores quosdam sociales eventus qui susdeque societatem everterunt, exortum est desiderium bonorum spiritualium, recursus, confugium et, ut ita dicam, convolatio ad bona interiora.

Societas nostra moderna sitit: ut Samaritana clamat: « Da mihi aquam bibere » sed oportet ut administretur aqua bona et salutaris et haec eadem optima aqua convenienti modo detur, eo qui congruit necessitatibus atque adspirationibus nostrae aetatis. Hoc existimo esse secretum successus Congregationum: si pueri, si iuvenes, si virgines, si viri experientia compertum habuerint se in nostris Sodalitatibus haurire supereffluentem vitam supernaturalem, haurire intimam notitiam theoreticam et practicam nostrae Religionis; se facere posse, sit venia verbo quod redolet alienas philosophias, experientias religiosas vere profundas; se invenire manum suavem simul ac fortem quae dirigat, elevet atque sustentet, corda in primis quae intense diligant; si iuvenes praesertim invenerint educatores qui sciant eorum conscientiam formare; si omnibus Sodalitas fuerit praeter quam pietatis coenaculum, palaestra zeli et actionis catholicae, quae arma suppeditet ad strenue pro Christo pugnandum; fideles ad Congregationes confluent, fideles in Sodalitatibus manebunt, libenterque, ut puto,

ab iis qui dirigunt associationes catholicas curamve animarum habent, ad Congregationes membra mittentur, si experientia constiterit Sodalitates efformare viros perfectos.

Haec autem gloria maxima erit Congregationum, hoc maximum bonum quod modernae societati parere possunt. Non enim, ut scribebat Professor Toniolo, vir non minus pietate quam scientia inter Italos percelebris, non enim huic nostrae aetati a diplomatia, nec a politica, nec a scientia, nec ab armis salus est proventura, sed unice ex sanctitate, seu melius ex coetu quodam Sanctorum. Hos autem quaenam inter laicos associatio melius quam Congregatio Mariana parere atque educare potest? Ipsa igitur quae tot tantosque, praeterlabentibus saeculis, Sanctos Ecclesiae peperit, novis sanctitatis laureis Deiparae et Ecclesiae frontem exornet.

Discussio.

R. P. Praeses gratias agit, omnium nomine P. Directori Primae Primariae pro eius expositione. Deinde à RR. DD. Praesidibus inquirit utrum habeant aliquid observandum aut contradicendum circa ea quae modo a P. Garagnani sunt exposita. Cum nullus respondeat, P. Praeses insistit. Tunc sacerdos aliquis obiicit plerisque maximo impedimento esse quasi impromptu sermone latino uti. Statim A. R. P. Generalis respondet omnibus liberum esse eo sermone uti quem ceteris praefert. Quod si sermo ille parum notus erit, breviter ea quae dicta erunt ab aliquo Patre in linguam latinam vertentur.

Tunc, Praeside iterum interrogante, RR. DD. Joannes B. Mehler, Praelatus domesticus S. S., germanice loqui coepit:

Ex Bavaria advectus sum; per 30 annos munere Praesidis Congregationis Marianae Ratisbonensis fungor et Praeses Dioecesanus constitutus totam Congregationum Marianarum organizationem in dioecesi Ratisbonensi curare debeo. Sunt in Bavaria Congregationes valde numerosae; Congregatio virorum quaedam habet 8000 sodalium, Altoettingensis 20.000, Monacensis, Ingolstadtensis quoque numero eminent. A Patribus Societatis Iesu didicimus has multitudines in Congregationes paroeciales dividere et hac ratione exemplar verae Congregationis facilius persequi.

Germani et Bavari gaudebimus, si conventus internationalis Congregationum Romam convocabitur et quantum in nobis est praestabimus, ut quae in congressu isto statuta fuerint, in omnibus terrarum nostrarum partibus executioni mandentur ad vitam Congregationum instaurandam. In Germania quoque sentitur necessitas Congregatio-

num et magnum earum desiderium, praesertim Congregationum studiosorum et ultimis his temporibus etiam puerorum.

Omnia quae possumus faciemus ad Congregationes promovendas, sed non sine auxilio PP. Iesuitarum qui — Deo sint laudes — in Germaniam et Bavariam reverterunt. In Congregationibus regendis nos sacerdotes saeculares non nisi triste supplementum quoddam et vicarii Patrum Iesuitarum fuimus atque libenter hos labores Patribus Iesuitis reddemus.

Germani et Bavari Reverendissimum P. Generalem rogamus ut multos strenuos Patres in posterum nobis mittat ad instituendas atque regendas Congregationes in Germania et Bavaria.

A. R. P. GEN.: Maximas gratias ago pro laudibus Societati tributis, sed aliqua forte canonice minus exacta sunt. Congregatio enim pertinet non solum ad Societatem, sed etiam ad sacerdotes saeculares; immo Congregatio pendet minus a Societate quam variae aliae associationes quae cum aliis Ordinibus sunt coniunctae.

Praepositus Generalis Societatis quoad Congregationes quae non sunt in templis Societatis nullum habet ius; subiectae enim sunt Episcopis; et cum ante 20 annos in Germania magnae difficultates essent, P. Martin dedit responsum ad Card. Kopp, in quo clare edixit Congregationes non esse Societatis, sed esse plene subiectas Ordinariis (1). Est tamen aliquod ligamen, ex voluntate Sanctae Sedis, cum Congregatio sit condita a Societate: P. Generalis habet ius aggregandi Congregationes per quam aggregationem participes fiunt omnium gratiarum quae Primae Primariae concessae sunt. Cum habeat illud ius, potest curare ut semper verus spiritus Congregationis servetur. Indirecte postea per consilia, per congressus possumus iuvare Congregationes, sed per se sunt subiectae Episcopis et a sacerdotibus saecularibus optime reguntur et quam plurimum adiuvant parochos.

Congregationes nostrae habent aliqua omnino characteristica, quae non sunt in aliis associationibus. Primo sunt associationes vere religiosae et hinc tota potestas est in Moderatore, attamen, licet sint societates mere religiosae, non sunt sicut aliae societates mere confraternitates, sed habent splendidam et fortem organizationem socialem secundum varias classes.

Praeses quamquam habet totam auctoritatem, tamen secundum spiritum Congregationis ita agere debet ut congreganistae se ipsi

(1) Die 3 aprilis 1904. Vide apud MULLAN. *La Congregazione Mariana studiata nei documenti*, 1911, p. 242, n. 1902.

regant, quia hac ratione etiam formantur. Praeter organizationem quam aptissimam socialem et omnino modernam, habent illud principium selectionis quale in nulla alia associatione tam perfecte est evolutum. Congregationes non debent curare multitudinem, numerum, sed ut in unaquaque classe hominum, incipiendo a iuvenibus, forment viros selectos et puto ob hanc rationem SS. D. Leonem XIII in una ex suis Encyclicis dixisse Congregationes Marianas aptissimas esse ad pugnandum contra ferocissimam illam sectam Francomurariorum. Leo XIII optime novit Congregationes cum ipse sodalis Primae Primariae esset. Non est necessarium ut magna multitudo habeatur, sed illi homines selecti maximum influxum in omnes classes societatis exercebunt. Quam maxime optandum est ut numerus Congregationum Marianarum, quae a sacerdotibus saecularibus reguntur, magis magisque augeatur. Utique eos libentissime adiuvabimus, sed nihil aliud erimus nisi humiles cooperatores.

R. P. D. ROBERTUS BREITSCHOPF, O. S. B.: Magnum periculum rei catholicae hodie oritur ex eo quod typothetae etiam in officinis catholicis omnes fere sunt socialistae, qui si voluerint omnium rerum catholicarum impressionem impedire poterunt. Ad hoc malum cavendum Friburgi Helvetiorum Praelatus Kleiser b. m. ex congreganistis condidit Congregationem Sororum B. Petri Canisii, quae artem typographicam exercent. Earum Director qui hic adest certe libenter plura de iis postea nobis dicet.

R. D. VERCOLLIER, Secretarius Archiepiscopi Cameracensis et Sodalitatis Praeses, dicit valde exoptari ut prae manibus Directorum habeatur aliquis catalogus, in quo recenseantur libelli precum, libelli manuales, omnia opuscula quae possunt adiumento esse Directoribus et sodalibus. Potest statim responderi hic in aula haberi aliquam expositionem huiusmodi librorum atque opusculorum, sed oporteret aliquem catalogum prae manibus habere.

A. R. P. GEN.: Haec nostra expositio omnino incompleta est. At cogitavimus de instituendo Secretariatu internationali pro omnibus Congregationibus. A secretariis periodicum moderatoribus destinatum edetur, in quo ut optimae animadversioni satisfiat, opera publicata nota fient. Praeterea cogitavimus de aliquo Directorio generali lingua latina conscribendo quod cum omnibus communicari poterit, et dein cum approbatione Episcoporum variis dioecesibus accomodari. Voto expresso omnino satisfaciemus.

R. D. SCHWALLER: Excitaverunt me, ut vobis de sororibus B. Petri Canisii referrem. Quamquam socius sum consilii Congregationum

Marianarum... nullo tamen mandatu gaudeo earum nomine loquendi. Superiore Dominica magnum conventum Congregationum Virginum habuimus, in quo sectiones ex tota Helvetia adfuerunt. Omnes Praesides censuerunt plurimum Congregationes valere, si sectiones ubique instituentur.

Salutem vobis nuntio nomine Friburgensium civium, qui B. Petri Canisii sepulcrum in urbe sua custodiunt. Friburgi B. Petrus nonnullas Congregationes instituit e quibus studentium et virorum Sodalitates ad hoc usque tempus florent. Friburgum recte urbs Congregationum vocari potest.

B. Petrus Canisius plurimum in re catholica augenda effecit praelo adhibito. Quod intelligens RR. DD. Kleiser erexit sectionem Congregationis Marianae ad praeli labores curandos. Haec sectio sensim excrevit in Congregationem religiosam Sororum B. Petri Canisii. RR. DD. Kleiser hoc opus ea tantum via efficere potuit quod non destitit de magno praeli momento verba facere, dum numerum necessarium aptarum sodalium invenit. Congregatio iam per 24 annos laborat et a RR. DD. Ordinario opus dioecesanum declarata est. Summus Pontifex Pius XI eiusque praedecessores idem commendaverunt. Virginibus quae huic operi aggregantur, iam post breve tempus vota nuncupare licet. Habemus proprias officinas ad componendos, imprimendos, compingendos libros. RR. DD. Episcopus Curiensis nuper hoc opus pro summo, ut dixit, suo in his rerum condicionibus momento instanter commendavit.

Alias enim timendum est, ne tempus sit futurum quo catholici, socialistarum machinationibus impediti, iam nullam ephemeridem edere possint.

Ad ea quae A. R. P. Generalis dixit id solum respondeo :

Dixit Congregationes non a Iesuitis regi. Verum quidem est sacerdotes saeculares quoque aliquid in hac re effecisse, attamen si volumus res bene procedere nescio quid iesuiticum in Congregationis Moderatore requiritur.

R. D. Kalinowski : Professor religionis Calissiensis, praeses omnium associationum iuvenum, lingua polonica brevem contionem habet.

A. R. P. Gen. : Possumus breviter repetere quae RR. DD. dixit. Venit ex Polonia et est Praeses omnium associationum iuventutis scholarum mediarum. Salutem affert ex illis regionibus.

Putat primo loco ubique curandum esse ut Congregationes Marianae inter se uniantur sicut nunc in Polonia, post recuperatam libertatem, factum est.

2º loco R. Orator valde commendat ut iam in seminariis clerici edoceantur de ratione Congregationum Marianarum et modo eas bene regendi.

3º Desiderat ut frequentiores fiant conventus Moderatorum sive regionales sive etiam maiores, ut experientia semper melius discant quomodo in regendis et fovendis Congregationibus procedere debeant.

In fine R. Orator cum sit ex dioecesi ubi est celeberrimum sacrarium B. M. V. Czenstochawa salutationes ex eo affert.

R. D. Misonne, Dioeceseos Mechliniensis : Optime intellexi ex verbis Relatoris Congregationem debere esse scholam spiritualem vitae asceticae et apostolatus. Velim interrogare quidnam nos debemus exigere ab iis qui Congregationem ingredi volunt relate ad punctum omnino particulare quod saepissime ponitur in Belgio, nempe quam partem sodales possint habere in vita mundana quae nostris temporibus tam mala est.

A. R. P. Gen. : Breviter respondebo quaestioni quae sine dubio est summi momenti. Responsum fluit ex ipsa natura Congregationis. Cum Congregationes sint vera sodalicia religiosa et praeterea selectorum virorum, omnino necesse est et a membris Congregationis postulatur ut, licet maneant in suo statu, tamen istis oblectamentis vitae mundanae renuntient. Nullo pacto permitti potest ut sodales partem habeant in illis saltationibus immodestis, sed debent contra eas pugnare. Heri attuli illud exemplum splendidum alumnorum scholae Polytechnicae Parisiensis. Qui cum in programmate saltationis vidissent etiam indicatas saltationes immodestas modo ab Archiepiscopo Parisiensi Cardinali Amette prohibitas, declararunt se non habituros partem in sollemnitate nisi saltationes illae tollerentur. Quod dein factum est. Hic erat verus spiritus Congregationis. Sic etiam in aliis rebus fieri debet. Sed moderate uti possunt recreationibus honestis, nihil peculiare postulatur a sodalibus, sed debent esse valde moderati et procedere secundum principia a SS. PP. posita, ut a S. Ioanne Chrysostomo.

R. D. Misonne : Liceat mihi dicere Moderatores nostros tali spiritu animari, sed maxima gratitudine eos hanc regulam accepturos esse.

R. D. Kniewald, Prof. theol. in Seminario Archiepiscopali Zagrabiensi, ponit aliam similem quaestionem alicuius momenti. Habemus apud nos, inquit, multas associationes iuvenum utriusque sexus, quae dicuntur *uniones catholicae*. Iidem sodales sunt membra et Congregationum et unionum. Quaero quomodo Congregationes se ha-

bere debeant relate ad has uniones? 1º Possuntne Congregationes concedere ut hae uniones dirigant omnes sectiones quae non sunt exclusive religiosae, ut eucharistica, apologetica, missionum, ea tamen conditione ut director Congregationis sectionum conventibus assistat? 2º Si hae uniones, quae a laicis reguntur, directiones dant parum conformes spiritui Congregationum, v. g. de theatris et recreationibus, quomodo Director Congregationis se gerere debet?

P. Garagnani a P. Praeside invitatus ut responderet, dixit quaestionem hanc ad secundam partem programmatis pertinere, de qua statim referet P. Monaco.

Relatio P. Relatoris Nicolai Monaco S. J.

Omnibus ratum est, totum bonum ac spiritualem congregationum fructum post Dei adiutorium ac B. M. V. favorem, fere ex integro pendere ex directore: qualis Director, talis Congregatio. Patet igitur, quanti momenti sit bonos et idoneos parare directores ad vitam prosperitatemque Congregationum in tuto ponendam. Porro ad hunc obtinendum finem, opportunum maxime videtur ut mature parentur huiusmodi directores, quum adhuc studiis incumbunt qui ad sacerdotium promoveri cupiunt. Et primo curandum est ut eis clare demonstretur momentum, utilitas et opportunitas, praesertim pro hac aetate nostrarum Congregationum: primo ut foveatur in populo christiano, maxime in iuventute spiritus pietatis ac devotionis profundae erga SS. Sacramentum Eucharistiae ac B. V. M.; secundo ut promoveatur cultus religionis externus publicus et collectivus, ut recentiorum erroribus occurratur, qui omnem hunc cultum ad internum tantum ac privatum reducendum esse comminiscuntur; tertio quoniam iugiter foventur et in dies augentur innumerae associationes pro diversis finibus consequendis, maxime iuvat eis opponere Congregationes Marianas, quae simul colligunt et sub peculiari organismo consociant christianos ut finem sibi comparent, qui primus est et unus omnibus necessarius, salutem nempe animarum: quarto tandem ut fructuose ac solide prospiciatur operibus illis publicis ac socialibus necnon politicis, quibus etiam catholici, uti par est, tantam navare cupiunt operam. Quocirca haec omnia harmonice componuntur in Congregationibus Marianis cum favore et auxilio B. M. V., utile nisi etiam necessarium videtur ea omnia explanare seminaristis et aliis alumnis qui ad sacerdotium erunt promovendi, sive per lectiones vel adhortationes, sive per opuscula, ephemerides ac libros qui hac de re opportunos exhibent articulos. Maxime pariter iuvat ut foveantur Congregationes tum sacerdotum, tum alumnorum et clericorum in seminariis sive minoribus sive maioribus. Ita ut non modo et ipsi spiritu proprio imbuantur Congregationum, sed simul edoceantur qua ratione eaedem dirigendae sint, quaenam praesertim in directoribus dotes requirantur ad eas rite dirigendas et experiantur quinam uberrimi fructus ex iis colligi queant. Ad hoc etiam valde confert mittere hos alumnos ad Congregationes externorum, ut ibi e. g. catechismum doceant sodales, eos parent ad 1am Communionem vel directores adiuvent in quibusdam suis muneribus. Quod si cum debitis fiet cautelis, non impedit quominus ipsi studiis recte incumbant, sed forte alias aufert periculosas distractiones, et iuvat ad magis fovendum amorem ac zelum animarum, per Congregationes Marianas, tam utiliter exercendum.

Ut vero ad media suggerenda deveniamus, quibus Congregationes propagari queant, pronum est intelligere primum ac maximum esse illud, quod modo exposuimus: formationem Directorum. Hominem non habeo: videntur lamentabili voce exclamare regiones illae quae Congregationes non habent. Da mihi hominem, spiritu imbutum, qui ad hunc finem requiritur, ipse media apta facile inveniet, ad Congregationes fovendas, multiplicandas, propagandas. Sed ut aliquid addamus, primo dicimus requiri, ut qui Congregationem instituere cupiat, curet incipere cum paucis sodalibus qui vero flagrant desiderio colendi spiritum proprium Congregationum, et paulatim tantum alios congreget. Praeterea valde iuvat incipere cum pueris praesertim cum scholis catechisticis, quum magni momenti sit ponere ut basim solidam culturam religiosam. Deinde ex istis meliores seligat, eos praesertim qui maiorem praeseferunt inclinationem ad pietatem et ita primum instituat nucleum Congregationis et per aliquot menses eos edoceat circa proprium Congregationis spiritum eius momentum rite expendendo, atque tandem solemniter et si fieri potest cum externo quoque apparatu Congregationem canonice erigat. Et bene Director curet diversis mediis praesertim in initio hos sodales fovere, spiritualiter excolere, spiritu imbuere pietatis, humilitatis, caritatis et etiam sui abnegationis, ita enim sibi comparat bonos officiales ac proximos adiutores inter ipsos sodales, qui multum iuvabunt ad veram Congregationis prosperitatem. Sibi comparet eisque distribuat libros, opuscula, folia quibus explicantur historia, praxis, privilegia, beneficia Congregationis: eos saepe alloquatur, ac praesertim multum diligat tamquam suos filios spirituales eosque inspiciat ut coronam suam et gaudium suum.

Postremum ut difficultates quasdam innuamus quae opponi solent, prima ea esse videtur, quod multi sacerdotes ignorent bonum fructum Congregationum, et nonnulli etiam, liceat et hoc addere, non semper praediti sunt spiritu illo magnae patientiae et constantiae, prorsus necessario, ad hunc uberrimum fructum colligendum. Haud raro quidam conqueruntur, praesertim parochi, se esse nimis oneratos variis ministeriis et operibus. At si ipsi inspicerent quanti momenti inter alia ministeria sit istud quod plura simul complectitur, et alia fovet, quae ad ministerium praesertim parochiale rite obeundum necessaria sunt, facilius hanc superarent difficultatem. Sodales enim bene instructi mirum quantum iuvare queunt sacerdotes et parochos ad haec alia sua ministeria exercenda.

At maxime videtur opponi posse difficultas ex aliis associationibus catholicis modo ubique florentibus praesertim Iuventutis Catholicae et exploratorum seu scautisticae ut aiunt. Et haec sane difficultas sedulo perpendenda est.

Et primo dicimus:

1º Si modernis associationibus ius datur surgendi et sese extendendi, multo magis hoc ius concedi debet Congregationibus antiquitate venerandis et praeditis specialibus approbationibus Ecclesiae;

2º Congregationes autem suam utilitatem maximam etiam nunc praeseferunt quia:

a) absque ullo dubio et omnibus fatentibus praebent cum intensitate speciali perfectionem illam quae est basis cuiuslibet actionis catholicae;

b) immo, experientia teste, cum Congregationes procedunt ad opera exteriora, specialem efficaciam habent et fructus uberiores producunt;

c) ubi ipsae Congregationes initium vel auxilium speciale actioni catholicae praebent, haec securius procedit et modo magis consono doctrinae et criteriis Ecclesiae;

d) denique Congregationes possunt esse vinculum actionis catholicae, quia iuvenes et viri actionis catholicae pietatem solidam et genuinum spiritum catholicum recipiunt in Congregationibus, quae optime suppeditare possunt spiritum illum verae devotionis et sacrificii, qui tam optatur ad perseverantiam in operibus catholicis promovendis. Semper autem inter Congregationes et alias societates obtineri poterit quaedam moralis unitas et cooperatio efficax, sive per sectiones Congregationum, sive per communicationem membrorum.

Hisce positis, ut practice difficultas solvatur; ita mihi procedendum esse videretur:

1. Ubi nulla adhuc extat huiusmodi associatio primo incipiendum esset ab erigendis Congregationibus, non quia sum Cicero pro domo sua, sed quia ut ex rationibus allatis evidenter patet, spiritus Congregationum esse debet basis ac fundamentum harum associationum, quod fundamentum quamvis videantur hae quoque associationes sibi tribuere, certe tamen ab eis non excolitur tam impense et assidue sicut in Congregatione. Quod vel ex eo patet, quod Congregationes iure suo diriguntur semper a sacerdote, cuius proprium est hoc fundamentum pietatis excolere, dum aliae associationes vocantur laicae, saepe a laicis diriguntur; et sacerdotem habent tantum tamquam assistentem ecclesiasticum.

Dein vero seligentur e sodalibus iuvenes ac viri qui in istas alias associationes colligentur, quin tamen deserant Congregationem qui revera meliores erunt earum socii, ut experientia quotidiana docet.

Idem pariter fiet, ubi iam vigent Congregationes Marianae, quae proinde non modo nullum afferent nocumentum istis, sed eas maxime iuvabunt, ad bonum proprium spiritum fovendum, servandum, augendum.

Ubi vero iam vigent aliae associationes, haud erit difficile quosdam, et quidem meliores seligere, eos rite edocere circa proprium Congregationis spiritum; quantum ipsi valeant alias associationes iuvare si boni sodales evadent. Cum istis sacerdos Congregationem Marianam instituat, eos peculiari ratione foveat, peculiares habeat collationes et facile videbit eos evasuros meliores socios et etiam praesides aliarum associationum; at simul semper curet ne ipsi Sodalitatem Marianam deserant.

Quare ut finem imponamus, asserimus, non posse melius prospici, non modo religioni sed et ipsi societati, quam fovendo Sodalitates Marianas cum integro suo spiritu, praesertim cum vero et solido animarum zelo. Ipsae facile componentur cum aliis associationibus, easque perficient atque impedient ne a recto tramite devient, et ita omnes facilius pervenient ad communem omnibus finem, qui est gloria Dei et zelus animarum. Et ita perveniendo ad Iesum per Mariam, animas omnium ad Iesum per Mariam perducemus.

Et ut respondeatur quaesito R. D. Kniewald distinguendum videtur inter societates vere catholicas et alias. Illae harmonice componendae sunt cum Congregationibus Marianis vel instituendo coetus parallelos cum Congregationibus quorum assistens ecclesiasticus sit

Praeses Congregationis, vel permittendo congreganistis ut in alias associationes ingrediantur. Curet tamen Director Congregationis ne deserant eam, quia experientia docet eos qui Congregationem deserunt saepe etiam spiritum catholicum amittere. Si autem sunt aliae associationes ut sportivae, tunc Director cum magna cautela videat ut possint exercere officia propria Congregationis. Si hoc fieri nequit, non possunt pertinere ad Congregationem Marianam.

Discussio.

R. D. Kniewald: R. P. Monaco quoad primam quaestionem mihi optime satisfecit. De altera vero iam insto, quaerendo sitne ad mentem Congregationis procurare pro congreganistis annorum 12-20 excursiones, saltationes, non quidem in ipsa Congregatione, sed in aliis associationibus ?

P. Mischler exhibet regulam quam Praesides, in unione centrali Congregationum virginum Germaniae, statuerunt:

1. Non est contra spiritum bonae Congregationis repraesentationes theatrales instituere, quae non solum animos formant et colunt, sed optimum medium educativum esse possunt, sicut historia veterum Congregationum docet. Ad hoc autem tantummodo talia opera in theatris Congregationum virginum repraesententur, quae alicuius valoris sunt et nonnisi partem femineam agunt. Si vero esset opus quoddam eximium, in quo viri paucas tantum partes agunt, possent praesertim, quia opera bona pro solis virginibus scripta sat rara sunt, viri electi partes virorum agere sed tantum exceptionis gratia, adhibitis cautelis necessariis et hoc solum in operibus, quae indolem habent gravem et quasi sollemnem, nunquam v. g. pro comediis.

2. Quoad saltationes et choreas haec statuta sunt.

Officium summi momenti est pro Congregationibus :

a) Pro viribus eniti ut effrenatum desiderium saltandi sodalium praesertim virginum coerceatur et ut praecipue a praematura frequentatione saltationum puellae retineantur.

b) Minuenda sunt in quantum fieri potest pericula moralia saltandi :

1° eo quod quam severissime prohibeatur participatio saltationum impudicarum ;

2° eo quod moneantur ne loca publicarum saltationum adeant, ad quae unusquisque potest aggredi;

3° eo quod eis ostendantur occasiones tales, ubi puellae cum sociis bonis et sub tutela conveniant, v. g. in festis familias, in festis

unionum catholicarum, quae ab illis unionibus parochiarum habentur, saltationi possunt indulgere.

P. Monaco : Puto responsum esse a P. Generali. Videndum est, num tales res componi possint cum spiritu Congregationis. De repraesentationibus amatoriis dici id nequit saltem pro iuvenibus, pro uxoratis est aliud. Iuvenes a 12 ad 20 annos debent prohiberi ne intersint. Etiam prohiberi debent repraesentationes mixtae ; est perniciosissimum. Ubi factum est multa scandala exorta sunt.

P. Stejskal : Quid faciendum Praesidi, si membra Congregationis petunt dispensationem ut possint interesse functionibus alterius coetus cuius etiam socii existunt, v. g. exercitiis gymnasticis ?

P. Monaco : Si agitur de associationibus vere catholicis, quarum exercitia habitualiter impediunt sodales ne intersint Congregationi, Directores amice hanc rem componant. Si hoc fieri nequit, congreganistae prohibendi sunt, ne talibus associationibus nomen dent, ostendendo eis esse maioris momenti opera pietatis quam alia.

P. Foretic' : Apud nos in Bosnia per decretum gubernii excluduntur omnes congreganistae e scholis publicis. In Croatia usque eo quidem non processerunt, sed postulant supremam auctoritatem in Congregationes Marianas et ut Congregationes fiant unice in aedibus scholae idque praesente scholae Directore qui est publicus inspector ex parte Status. Si his postulatis non cedunt, gubernium Congregationes supprimit. Possumusne his postulatis cedere ? Si non, quid faciendum ?

A. R. P. Gen. : Est persecutio neque res nova. Pugnandum est et curandum quantum fieri possit, ne haec decreta executioni mandentur. Quoad directiones particulares, res spectat omnino ad Episcopos, quia adiuncta variarum regionum sunt consideranda.

Per se prudentius est interdum in aliquibus rebus externis, quae non sunt essentiales cedere, quia saepe hoc modo iam sunt contenti, in essentialibus vero cedere non possumus et audacter resistere debemus ; experientia teste, si audacter resistitur, gubernium non audet iam leges iniquas urgere. Si Congregationes cedere debent, vita occulta eis agenda est.

Praeses : Finem ponamus sessioni huic, quae non fuit nisi parvum quoddam initium magni Congressus quem speramus post aliquot annos hic haberi posse.

APPENDIX I.

Audientia Summi Pontificis ad Patres Deleg. Congr. Mar. 27 Maii 1922.

Receptio habita est in aula throni. Cum Summus Pontifex ex aliis aulis, in quibus multi erant peregrini, ad nos pervenerit, P. Procurator Generalis Summo Pontifici manifestavit sacerdotes illos, qui coram stabant, omnes esse Societatis Iesu sacerdotes, Romam missos ex omnibus mundi partibus, ut tamquam moderatores Sodalitatum B. M. Virginis Conventui Eucharistico omnium nationum interessent. Ipsos vero enixe optare, antequam in patriam redirent, pedem Sanctitatis Suae deosculare et Apostolicam Benedictionem accipere pro se, pro suis Congregationibus ac piis munusculis, quae secum ferebant.

Tunc Beatissimus Pater haec verba fecit: « Perlibenter benedicimus hisce Patribus, qui ex omnibus mundi partibus huc adventantes, licet pro multitudine pauci, magnae tamen illius familiae partes obeunt, quam Dei cor, cordi Nostro committere voluit.

Illud enimvero praecipue nos laetitia et iucunditate afficit, quod pone hos Patres esse alios fidelium coetus contuemur, plus minus ingentes, plus minus numero conspicuos, sed omnes spiritu quo reguntur, praestantes, idest Sodalitates Marianas. Has Sodalitates optime novimus et haud exiguo beneficio vertimus Nos potuisse propius eas admirari et cernere quantae sint utilitati hominibus, familiis, populis ipsis.

Quare ex animo benedicimus omnibus his Patribus, ac benedicimus omnibus Sodalitatibus, quas iidem sustinent, et per recti semitam ducunt; benedicimus cunctis eorundem sodalibus, benedicimus operibus quae Sodalitates provehunt, benedicimus piis munusculis, quae hi Patres secum ferunt, simulque cupimus nostram benedictionem respondere menti, quam animo et corde fovent ».

APPENDIX II.

Litterae ad R. R. D. D. Heylen quibus Patres omnes, Marianarum Congregationum delegati, " Congressui Eucharistico ,, internationali adhaerent (V. Sess. III).

EXCELLENTISSIME DOMINE:

Sodalitates Beatae Mariae Virginis, Primae Primariae Collegii Romani aggregatae, quae amplius quam quadraginta quinque millia toto terrarum orbe diffusae numerantur, quaeque pluries decies centena millia sodales sub Immaculatae Deiparae vexilla colligit, debitum sibi ac necessitatem inesse persentiunt adhaerendi fervido animo unoque ore Congressui eucharistico vigesimo sexto quem totius mundi nationes Romae cogere aggrediuntur.

